

PII IX  
PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

VOL. IV.

ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM  
SPECTANT



ROMAE  
HABITA FACULTATE

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVII MARTII  
MDCCCLXV.

VENERABILES FRATRES

**O**mnia Ecclesiarum cura , et sollicitudo Nobis divinitus commissa postulat, Venerabiles Fratres, ut hodierno die Vobiscum rem communicemus , quae ad Orientalem pertinet Ecclesiani. Venerabilis Frater Clemens Bahus Antiochenus Graeco-Melchitarum Patriarcha plures per annos gravissimo suo munere egregie perfunctus a Nobis enixis precibus efflagitavit, ut ipsi veniam tribuere vellemus, qua se Patriarchatu abdicare posset. Nos eximias, quibus idem praestat, dotes prae oculis habentes , ac propterea optantes , ut in Patriarchali dignitate , et munere permaneret, huiusmodi abdicationem diu multumque detrectavimus , eumque exhortati sumus, ut pergeret Patriarchalis illius Ecclesiae regimen, procurationemque gerere. Verum ipse propositi tenax , et humillime de se sentiens , ac vehementer cupiens pristinam monasticam , et absconditam vitam denuo agere, divinisque rebus liberius vacare ita apud Nos etiam atque etiam instare , et urgere non destitit, ut illius votis tandem annuendum esse censuerimus. Quamobrem Venerabili Fratri Iosepho Valerga Patriarchae latino

Hierosolymitano, ac Pro-Delegato Apostolico Syriae commisimus, ut eiusdem Venerabilis Fratris Clementis dimissionem Nostro, et huius Apostolicae Sedis nomine, et auctoritate admitteret, exciperet, ratamque haberet, eumque a vinculo quo commemoratae Antiochenae Patriarchali Graeco-Melchitarum Ecclesiae obstringebatur, plane solveret. Hinc illius Nationis Episcopi ab ipso Venerabili Fratre Clemente convocati post abdicationem in eodem conventu ab ipso factam, et a Nobis per eundem Venerabilem Fratrem Hierosolymitanum Patriarcham admissam, ad novum illius Ecclesiae Patriarcham eligendum convenerunt. Itaque, collatis suffragiis, Venerabilem Fratrem Gregorium Iussef Episcopum Ptolemaidensem tam insigni dignitate ornandum existimarunt. Quae electio Episcopis, Monachis, et primoribus eiusdem Nationis, ac universo populo grata admodum fuit, propterea quod egregiae virtutes, quibus electus Patriarcha excellit, Graeco-Melchitarum Nationi iam notae erant. Ipse vero Venerabilis Frater Gregorius Iussef obsequentissimis ad Nos datis Litteris suam electionem significans, luculentissimis verbis declaravit, nihil sibi potius esse, quam summa fide, observantia et obedientia Nobis, et huic Petri Cathedrae firmiter adhaerere, ac veheinenter Nos rogavit, ut eum Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum Apostolica Nostra Auctoritate confirmare, ac Sacri Pallii honore decorare vellemus. Rebus igitur omnibus a Nobis, et a Congregatione VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium fidei propagandae, qui sacris orientalium Ecclesiarum nego-

tiis praesunt, accurato examine perpensis ac probatis , ex eiusdem Congregationis sententia hanc electionem seu postulationem eo libentius confirmandam censemus, quod noscamus, ipsum Venerabilem Fratrem Gregorium Iussef singulari religione, pietate, prudentia, aliisque praeclaris dotibus esse ornatum. Ac propterea in eam profecto spem erigimur fore , ut idem summa cura , industria , studioque omnes amplissimi, aequa ac gravissimi munera partes explere, ac maiorem Dei gloriam, animarumque salutem indesinenter procurare contendat. Quocirca eumdem Venerabilem Fratrem Gregorium Iussef a vinculo, quo Episcopali Ptolemaidensi Ecclesiae obstringitur, absolvendum, eumque in Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitae Nationis confirmandum, ac Sacri Pallii honore decordanum, aliisque omnibus privilegiis ditandum estimamus, quibus eius Praedecessores ab hac Apostolica Sede ornari consueverunt. Hoc enim pacto rem faciemus ipsi summopere gratam, et acceptissimam inclytæ Graeco-Melchitarum Nationi, quam haec Apostolica Sedes singulari semper benevolentia merito est prosequuta et prosequitur.

### Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra confirmamus, et approbamus electionem , seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Graeco-Melchitarum Nationis Antistitibus factam de persona praedicti Gregorii Iussef Episcopi, quem a vinculo, quo tene-

batur Ecclesiae Ptolemaidensis , absolvimus , ac transferimus ad commemoratam Patriarchalem Antiochenam Graeco-Melchitarum Ecclesiam praeficientes ipsum in Patriarcham et Pastorem eiusdem Nationis, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur.

In nomine Patris ☧ et Filii ☧ et Spiritus ☧ Sancti.  
Amen.

Nunc autem ex veteris instituti more loquentes de acerbo clarae memoriae Maximiliani Secundi Bavariae Regis Illustris interitu, Vobis manifestamus, Venerabiles Fratres, maximo Nos affectos fuisse dolore, ubi primum accepimus, Ipsum ex hac vita decessisse. Namque in Eo Principem amisimus, qui suis populis carissimus, ac pietatis, prudentiae, aliarumque virtutum splendore clarus impensissimo Nos , et hanc Apostolicam Sedem studio ac reverentia prosequebatur. Etsi vero mors pientissime ab eo obita sperare Nos iubeat, eum eterna iam perfaci beatitate, tamen eximiam vestram religionem excitamus ad illius animam coram Deo precibus expiandam. Nos quidem id privatim agere haud omisimus , et publicis etiam Exequiis in Pontificio Nostro Sacello die sexta proximi mensis Aprilis facturi sumus.

Iam vero quamquam acerbissimum Nobis attulerint moerorem tristissimae sane res , quae in Mexicano Imperio recens evenerunt praeter omnem opinionem, expectationemque Nostram, et filialis observantiae significationes Nobis a Carissimo in

Christo Filio Nostro Maximiliano Mexici Imperatore variis temporibus exhibitas, tamen de eisdem rebus in praesentia sermonem habere minime existimamus. Ea enim spe sustentamur fore, ut idem Imperator proprii officii, bonique memor, ac serio considerans, catholicam religionem, eiusque salutarem doctrinam Imperiorum felicitati, stabilitate, et temporariae quoque populorum prosperitati, ac tranquillitati maxime conducere, velit a via misere inita pedem referre, et iustissimis nostris desideriis, ac postulationibus obsequi, et illius catholicae nationis votis, ac reclamationibus satisfacere, et in suo Imperio gravissimas Ecclesiae reparare ruinas, eiusque veneranda iura, libertatem, Sacrosque Antistites, Ministros, et Instituta tueri, ac singularem cum Episcopis praesertim concordiam servare, quemadmodum religio, ac iustitia omnino postulat, et catholicum Principem plane decet.

At nullo modo temperare Nobis possumus, quin hac etiam occasione in amplissimo vestro consessu meritas summasque laudes tribuamus Venerabilibus Fratribus catholici orbis Sacrorum Antistitibus, qui in tanta contra divinam nostram religionem coniuratione, tantaque multorum hominum depravatione luculentissimam Nobis solatii, gaudii, et consolationis causam quotidie magis suppeditant inter gravissimas, quibus affligimur, acerbitates. Siquidem iidem Venerabiles Fratres Nobis, et huic Petri Cathedrae omnium Ecclesiarum matri et magistrae miro sane amore et obsequio ex animo obstricti, nullisque deterriti periculis, aerumnis,

et omni humano respectu posthabito , planeque neglectis iniustis decretis a civili auctoritate contra Ecclesiam editis, catholicam veritatem, et unitatem , ac supremam Nostram , et Ecclesiae , atque huius Apostolicae Sedis potestatem, auctoritatem, libertatemque, et iura qua voce, qua scriptis animo invicto tutari, ac vindicare summopere gloriantur, ac simul recentissimis etiam suis Litteris tum ad Nos, tum ad fideles eorum curae commissos datis laetantur palam publiceque ea omnia reiicere ac damnare , quæ a Nobis damnantur , neque omitunt sacerdotali robore obsistere nefariis inimicorum hominum consiliis , conatibusque , ac fideles sibi traditos sana doctrina imbuere, et ad salutis semitas perducere. Quo iustissimarum laudum præconio in primis dignissimi sunt Venerabiles Fratres Italiae Sacrorum Antistites. Etenim ipsi quamvis gravioribus adversantium iniuriis , et insectationibus obnoxii, omnibusque modis exagitati, tamen ministerium suum strenue implentes nunquam destiterunt, nec desinunt singulari animorum consensione episcopalem attollere vocem , ac vehementer reclamare , et protestari contra singulas reprobandas , iniustissimasque leges a Subalpino Gubernio adversus Ecclesiam , eiusque sacra Instituta, Ministros , ac iura latas , et adversus inumeros fere ac prorsus sacrilegos ausus ab eodem Gubernio admissos. Atque iidem Italiae Episcopi admirabili sane virtute et constantia pro Christo, eiusque Ecclesia fortiter dimicantes, ac de proprii gregis salute solliciti exilium etiam, et carcerem, et aspera quaque tolerare non pavent , illustria

Apostolorum vestigia sectantes, qui ibant gaudentes a conspectu concilii , quoniam digni habitu sunt pro nomine Iesu contumeliam pati (1). Quapropter dum gravissimos eorumdem Venerabilium Fratrum angores ex corde dolemus , eorumque passiones Nostras proprias arbitramur, Nostrisque lacrimas cum eorum lacrimis commiscemus , humillimas amantissimo misericordiarum Patri, ac Deo totius consolationis agimus gratias , quod videamus singulari divinae suae gratiae auxilio catholicos Episcopos Nobis, et huic Sanctae Sedi addictissimos, et fidei spiritu vehementer vigere, et pro Ecclesiae suae sanctae defensione viriliter pugnare.

Vos interim, Venerabiles Fratres, in tanta temporum asperitate , in tanto animarum discriminē pergit pro egregia vestra religione ferventissimas una Nobiscum Deo sine intermissione adhibere preces , ut hanc Apostolicam Sedem tot iniuriis divexatam , Ecclesiam tot vulneribus laceram , et christianam, civilemque rempublicam tot calamitatibus afflictam omnipotenti sua virtute adiuvet et consoletur, utque divinae suae gratiae, et misericordiae divitias super omnes propitiis effundens , efficiat, ut omnes populi, gentes, nationes Ipsum, et quem misit, Unigenitum Filium Suum Dominum Nostrum Iesum Christum agnoscent, diligant, vereantur, collaudent, et omnia mandata Eius diligenter servantes eam instent viam, quae dicit ad vitam.

(1) Act. Apost. c. 5. v. 41.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**S**apienter ac vere de Ecclesia Dei scribebat S. Cyprianus, « floribus eius nec rosae, nec lilia desunt » nimirum ut conspersa rubuit fortissimorum Martyrum sanguine, sic albicantibus Virginum liliis exornata nitescit. Nulla enim vero aetate in Catholica Ecclesia defuerunt generosae indolis pueriae, quae restincto carnis ardore mortalibus nuptiis immaculati agni nuptias anteposuerunt, atque adeo virtutum oleo ornantes lampades suas divino Sponso obviam factae feliciter ab eo sunt in aethereum thalamum introductae. Huic illustri Virginum agmini adscensenda est Venerabilis Dei Famula Maria ab Angelis ex Ordine Religiosarum Sororum Carmelitum Excalceatarum, quae praestantissimarum exercitatione virtutum Virginitatis decus adornavit, adauxit. Haec porro Augustae Taurinorum ab Ioanne Donato Fontanella de Baldissero Comite, et Maria Tana de Santena Coniugibus aequa pietate, ac nobilitate conspicuis orta, et christiana disciplinae praeceptionibus instituta a prima aetatula de se magna, ac praeclara spopondit. Quippe a puerilibus ludis abstinenſ secretioribus se occultabat cubiculis, ut orationi vacaret attentius, ac licet paterna in domo bonis omnibus affluente nullis careret voluptatum illecebris, numquam tamen capta ab iis est, sed ex lectitandis Sacrorum Virorum gestis

sic exarsit severioris vitae studio, ut una cum fratre paternis aedibus aufugere, seque desertum in locum conferre proposuerit. Ex recolendis vero Christi Domini cruciatibus tanto patiendi amore vel a primis annis affecta est, ut ieuniis, vigiliis, omni-que asperitatum genere afflictare corpus institerit. Adhuc sexennis nihil magis habebat in votis, quam ut Sanctissimo Christi corpore se reficeret, quod quum primum fuit assequuta maioris divini amoris flamas in corde concepit. Quantis proposita periculis innocentia sit mature intelligens, veluti Noemica columba non inveniens in terris ubi requiesceret pes eius redivit in Arcam, ita Claustrorum in latebras se recipere statuit, ut castitatis florem ab omni labe servaret immunem. Huic obstitit consilio Parens, quae filiam benemoratam, et in familiae decus succrescentem, a suo latere divelli aegro animo ferret; sed tandem victa precibus, victa etiam lacrymis optatam illi veniam concessit. Qua impetrata nobilis puella laeta, atque alacris advolans ad Religiosas Sorores Ordinis Carmelitarum Excalceatas Sanctae Christinae Augustae Taurinorum sacris induta vestibus est anno MDCLXXVI. In tyrocinio christianaee perfectionis iter sic animose suscepit excurrentum, ut in admirationem sui raperet reliquas Sodales. Postquam vero sollemnia vota nuncupasset grave ac diuturnum subiit virtutis experimentum, siquidem per annos sex, Deo sic volente, caelesti quavis iucunditate, ac lumine caruit quibus perfundi solent ac recreari piorum hominum mentes, et quasi obscurae noctis obvoluta tenebris illud iterare cum regio vate coge-

batur « probasti me Deus , et visitasti nocte. » Ad haec porro multiplici tentationum genere ab inferno hoste lacessita et vexata vitam traxit quovis poenarum genere acerbiorem. Sedata denique divino beneficio hac tanta animi tempestate, coelestibus recreari deliciis uberrime coepit, sic ut intimis abrepta sensibus perstaret quoties de Deo cogitaret, aut loqueretur. Quum insigni opinione virtutis apud Sodales merito floreret, omnium suffragio dignissima habita est, cui tyruncularum cura ac regimen, exinde vero Supremum Asceterii moderamen iteratis etiam vicibus vitae, ac reluctanti demandaretur. Quibus muneribus Venerabilis Dei Famula sic perfuncta est, ut magistra, ac dux esset omnibus ad ineundam et absolvendam religiosae perfectionis viam. Scilicet elucebat in ipsa singularis animi demissio , praecipua erga Deum caritas , numquam intermissum precationis studium , accuratissima legum omnium observantia, inusitatus sese afflictandi ardor , ut referre videatur S. Aloisium Gonzagam materno genere se proxime attingentem, qui quidem admirabilem vitae innocentiam singulari austерitate cumulavit. Divinae gloriae propagandae studiosissima, superatis difficultatibus omnibus, novum sui Ordinis monasterium in Monte Galerio excitavit , ac licet absens sacras Virgines inibi degentes ad omnium virtutum laudem incendit , erexit. Caritate erga proximum ducta graviter angebatur, tot perditos homines in aeternae mortis periculo versari, assiduisque precibus, et voluntariis cruciatibus illud ab divina clementia contendebat, ut ipsi gratiae caelestis auxilio

in viam possent redire salutis. Quod caritatis officium erga animas pariter exercuit, quae piaculari igne torquentur: quippe et precationibus, et corporis afflictationibus statas eis poenas contrahere, et in caelestem beatitatem ingressum maturare studebat. Singularis pietatis studio Beatissimam Virginem Dei Matrem , Eiusque Sponsum S. Iosephum prosecuta est , quibus exoratis patriam suam ab hostili incursione atque impetu liberavit. Denique gravi correpta morbo quum prae-clara edidisset christiana patientiae documenta coelestes nuptias anhelans placidissime conquievit in osculo Domini die XVI Decembris anni MDCCXVII. Quae de illius sanctitate invaluerat opinio longe multumque aucta est post pretiosam eiusdem mortem , accidente prodigiorum celebritate , quae a Deo patrata illius suffragio ferebantur. Quamobrem de Venerabilis Dei Famulae vita ac virtutibus delata causa est ad Congregationem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium legitimis ritibus tuendis prae-positionum, rebusque omnibus maturo iudicio ponderatis, virtutes quibus Dei Famula inclaruerat heroicum attigisse culmen decrevit fel. rec. Pius VI Praecessor Noster editis hac super re litteris die V Maii Anno MDCCCLXXVIII. Postea agitari quaestio cepit de Miraculis , quibus Venerabilis Mariae ab Angelis heroica virtus confirmari dicebatur, ac diligenti instituto examine duo ex illis vera, atque explorata iudicata sunt. Nosque de illorum veritate Decretum edidimus octavo Idus Ianuarias labentis anni MDCCCLXV. Hoc restabat unum , ut memoratae Congregationis Cardinales interrogarentur,

num Venerabilem Dei Famulam inter Beatas recenseri posse existimarent; iique in Generali Conventu coram Nobis habitu Quarto Idus Ianuarias currentis anni tuto id fieri posse unanimi consensu responderunt. Attamen in re tanti momenti nostram pandere mentem distulimus donec ferventi prece a Patre lumen subsidium , opemque posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem tertio Kalendas Martii anni eiusdem solemni Decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem Venerabilis Mariae ab Angelis Beatificationem. Nos igitur permoti precibus universi Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ex memoratae Cardinalium Congregationis consilio , et assensu , Auctoritate Nostra Apostolica harum Litterarum vi facultatem impertimur, ut eadem Venerabilis Dei Famula Maria ab Angelis Beatae nomine in posterum nuncupetur , eiusque Corpus , et lipsana , seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferenda , publicae fidelium venerationi exponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus ut de illa recitetur Officium, et Missa singulis annis de communi Virginum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis, et Breviarii Romani. Eiusmodi vero Officii recitationem, Missaeque celebrationem fieri concedimus Augustae Taurinorum, eiusque in Dioecesi, itemque omnibus in Templis religiosarum domorum ubi constituti reperiuntur Fratres Carmelitae exalceati , vel Moniales eiusdem Ordinis die XVI Mensis Decembris ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus, quam

Regularibus, qui horas Canonicas dicere tenentur. Quod vero ad Missas attinet etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragatur, confluentibus. Denique concedimus , ut anno ab hisce Litteris datis primo solemnia Beatificationis Venerabilis Servae Dei Mariae ab Angelis in Dioecesi, Templisque supradictis celebrentur cum Officio , et Missis duplicis Maioris ritus , idque fieri praecepimus die ab Ordinariis indicenda, ac postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus , et Ordinationibus Apostolicis, Decretisque de non cultu editis , ceterisque contrariis quibuscumque. Volamus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis , dummodo manu Secretarii memoratae Congregationis Sacris Ritibus praepositae subscripta sint , et sigillo Praefecti munita , eadem prorsus in iudicialibus etiam disceptationibus fides habeatur , quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensae habenda esset.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XXV Aprilis Anno MDCCCLXV. Pontificatus Nostri decimo nono.

**N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.**

Locus  Sigilli

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**Q**uum adolescentia quoddam quasi fundamentum sit reliquae aetatis, et quam semel viam primis ab annis ingressi homines fuerint, ab ea difficile admodum in posterum deflectant; idcirco ne qua possit esse aetatis, ac virium excusatio ad defragiendum virtutis iter, sapientissimo Dei consilio factum est, ut floraret identidem in Ecclesia unus aliquis sanctitate conspicuus adolescens in quem insigne illud praecconium caderet « consummatus in brevi explevit tempora multa » qui nimirum exiguum temporis spatium, ad vivendum datum, amplitudine meritorum cumulate rependeret, hominesque in sui imitationem excitaret. Hos inter adolescentes iure adnumerandus Venerabilis Ioannes Berchmans Societatis Iesu Alumnus, qui susceptam in baptimate innocentiam animi integrum servare tanto-pere studuit, tam multa aliarum in se laudum ornamenta congressit, ut ad Ecclesiam universam, ne dum ad religiosam Societatem, cui adscitus est, illustrandam novum tamquam sidus adfulsisse videatur. Is enim vero in Civitate, cui nomena Diest, in Brabantia parentibus in lucem editus, non opibus, censuque, sed religionis studio praestantibus, diligenter ab iisdem est ad omnem virtutem institutus. Egregiae indolis puer ipsorum curis apprime respondit; namque tam compositis supra aetatem

moribus praestitit, ut neque molestiam cuiquam crearet, neque puerilibus huiusmodi oblectaretur, sed assidue in Templis adesse in deliciis haberet, seque ab aequalium congressu, convictuque saepissime subtrahens solitudinem quaeritaret, ut ad res divinas meditandas animum converteret. Undecimum attigerat aetatis annum quum ad divinam mensam primum admissus est, ac tanto caritatis ardore ad suscipiendum Sanctissimum Christi Corpus accessit, ut ignis ille divinus ex ore, oculisque castissimi adolescentis emicaret. In gymnasium inde deductus ut litterarum rudimentis daret operam non pietati minus, quam litteris studuit, sic ut quotiescumque discipuli in eum coniicerent oculos ad continentiam ad modestiam, ad omne virtutum genus tacita quadam voce excitarentur. Ut se Deo arctius manciparet in Clerum adscribi summis precibus a patre impetravit; sed tamen tribus post mensibus deliberatum ab ipso intellexit propter rei familiaris angustias alicui arti filium addicere, ut inde sibi subsidium ad vitam compararet. Huiusmodi nuncium graviter, et acerbe tulit Ioannes; atque obtestari parentem coepit, ne se a Clericali Militia quam tam cupide arripisset, averteret, omnem se abiecisse, affirmabat, rerum humanarum curam, in divina providentia plane conquiescere. Voti compos factus, litterarum studia perrexit excolere, et in suscepto virtutis curriculo, alacriter insistere, atque adeo quum plurimis circumseptam periculis innocentiam cerneret, ut illam in tuto collocaret S. Aloisium Gonzagam cuius vitam, diu multumque perpenderat, imitatus, atque in hac deliberanda re caeleste precatus auxi-

lium Societati Iesu nomen dare constituit. Atque hoc religiosae vitae institutum iccirco integerrimo iuveni , et erga proximum caritate flagrantissimo prae ceteris arridebat, quod illud amplectendo occasionem sibi dandam pro certo haberet in extremas orbis terras demigrandi ad barbaras gentes christiana fidei luce profundendas. Diu , multumque laborandum Ioanni fuit, ut veniam a parentibus assequeretur, qui in filio tanta virtute praedito et gentis, et fortunarum suarum spem omnem collocauerant. Qua tandem optatissima venia non sine lacrymis impetrata, annum agens decimum septimum Meckliniae in Societatem Iesu exceptus est. In eam porro tamquam in portum securitatis, et quietis ingressus dedit se continuo in eum perfectionis vitae cursum, quem suspicere , mirarique omnes, tenere, atque assequi pauci admodum possint. Siquidem non tyronibus tantum, sed provectioribus etiam Sodalibus absolutissimum virtutum omnium exemplar claruit. Enimvero ab humilitate , quae tamquam radix est reliquarum virtutum initium ducens abiecte admodum de se sentiens demississima quaeque munera obibat alacriter; mitis, ac mansuetus in ceteros, in se durus, atque asper teneros artus flagellis cederc, atque tantum cibi , ac potionis sumere consueverat quantum vix sustinendis, recreansque corporis viribus satis esse videretur; vel minimas religiosae disciplinae leges accuratissime servabat, ac tuebatur: nullam temporis partem licet exiguam otiosam sibi patiebatur defluere, sed lectitando , orando , caelestibus de rebus colloquendo utiliter insumebat; nihil ei iucundius quam in paren-

tem amantissimum Deum mentem, animumque intendere; in eoque meditando, colendoque tanto caritatis aestu flagrabat, ut paeclara illa flamma pectoris angustiis nequiret contineri; Beatissimam Virginem Dei Matrem omnibus pietatis officiis prosecutus est, eamque vel a primis annis Patronam sibi caelestem adlegit ad virginitatis florem custodiendum. Quum biennium in Tyrocinio traduxisset ad votorum simplicium nuncupationem admissus id eo fecit ardenter, quod se per eadem vota Deo consecrandum intelligeret. Tum Antuerpiam, exinde Romam missus est, ut philosophicis disciplinis operam impenderet. Nec sane illi accidere poterat optatus, quam in Urbe morari catholicae religionis praecipua sede, et propugnaculo, ubi sacros Apostolorum Principum cineres, nec non Sancti Ignatii Patris, et Sancti Aloisii Gonzagae, cuius vestigiis insisteret, sepulchrum praesens coleret, ac veneraretur. Itaque Philosophiae operam daturus in Collegium Romanum venit, in eoque sic versatus est, ut caelestis ille iuvenis Aloisius, cuius nobilitata virtutibus ea sedes fuerat, revixisse propemodum putaretur. Tandem caelo maturus correptus morbo est qui levior primum, deinde exasperari adeo caepit et ingravescere, ut innocentissimo iuveni vitae finem attulerit Idibus Augusti Anno MDCXXI, quum vicesimum tertium aetatis annum nondum ille excessisset. Haec tam excellens, tam constans virtus non potuit quin omnium oculos perstringeret, sic ut fama sanctitatis, quae de illo vivente percreberat aucta magis, atque diffusa sit posteaquam iuvenis castissimus mortalem hanc vitam cum beata

commutavit. Quapropter de eius vita, ac virtutibus conditae de more sunt tabulae tum Antuerpiae , tum Romae, ut exinde de heroico virtutum gradu apud Sanctam Sedem inquireretur. Sed eiusmodi causa intermissa diu iacuit , eamque velut intermortuam celebritas miraculorum excitavit, quibus famuli sui sanctitatem confirmasse Deus diceretur. Itaque sub Gregorio XVI Praedecessore Nostro absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria , in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus , quibus Venerabilis Ioannes inclarusisset , easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen decrevit idem Praedecessor Noster Gregorius XVI Nonis Iunii An. MDCCCXLIII. Postea quaestio agitata est de miraculis, quae Venerabili Ioanne Berchmans deprecante a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis tria miracula vera atque explorata sunt habita; Nosque adprecati antea caeleste auxilium tandem III. Kal. Martii currentis Anni MDCCCLXV decretum edidimus de trium eorumdem miraculorum veritate, atque ad ulteriora procedi posse concessimus, quin esset necesse ad alterius miraculi pervestigationem venire. Illud supererat, ut dictae Congregationis Cardinales rogarerunt num tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores Ven: Ioanni decernendos. Quare sexto Id. Aprilis vertentis anni coram Nobis eadem Cardinalium Congregatio coacta est, auditisque Consultorum suffragiis unanimis censuit Venerabilem Ioannem Beatum posse declarari cum omnibus In-

dultis donec eiusdem Beatificationis solemnia celebrentur. Iamvero ut hac miserrima aetate tot perfidorum insidiis circumventae iuventuti absolutum proponamus exemplar ad imitandum, et caelestem ei quaeramus patronum, cuius ope, ac tutela a tot fraudibus evadat incolmis; et vero etiam permotis precibus universae Societatis Iesu, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio, et assensu, Auctoritate Nostra Apostolica harum Litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Dei famulus Ioannes Berchmans Societatis Iesu Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque lipsana, seu reliquiae non tamen in solemnioribus supplicationibus deferendae publicae Fidelium venerationi proponantur, et imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium, et Missa de Communi Confessorum cum Orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis, et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem, Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus Romae, et in eius Districtu, nec non in Dioecesi Mecklinensi, Templisque omnibus, ac religiosis Domibus Societatis Iesu Idibus Augusti ab omnibus Christifidelibus, qui horas Canonicas recitare teneantur. Et quod ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus tam Saecularibus quam Regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus, ut anno ab hisce Litteris datis primo solemnia Beatificationis Venerabilis Ioannis Berchmans in Templis supradictis celebrentur cum Officio, et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Or-

dinarium designanda , ac posteaquam eadem so-  
lennia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non  
obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apo-  
stolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volu-  
mus autem, ut harum Litterarum exemplis etiam  
impressis, manu tamen alicuius Notarii publici sub-  
scriptis, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica  
dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides  
habeatur , quae ipsis praesentibus haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub An-  
nulo Piscatoris die IX Maii MDCCCLXV. Pontifi-  
catus Nostri Anno Vicesimo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXV SEPTEMBRIS  
MDCCCLXV.

VENERABILES FRATRES

**M**ultiplices inter machinationes artesque, quibus Christiani nominis hostes adoriri Ecclesiam Dei, eamque irrito licet conatu labefactare, atque excindere ausi sunt, recensenda procul dubio est, Venerabiles Fratres, perversa illa hominum societas, quae *Massonica* vulgo nuncupatur, quaeque in latebris primum, tenebrisque coacta in communem exinde perniciem religionis, humanaeque societatis erupit. Cuius insidias ac fraudes ubi primum detexerunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pastoralis officii memores, nihil morae interponendum existimauit, quominus sectam illam scelus anhelantem, multa ac nefaria rei sacrae et publicae molientem auctoritate sua coercerent, ac damnationis sententia tamquam iaculo confoderent et profligarent. Enimvero Clemens XII Praedecessor Noster Apostolicis suis Litteris eamdem sectam proscripsit reprobavit, ac fideles universos ab illa nedum ineunda, sed vero etiam quovis modo promovenda iuvandaque deterruit, indicta excommunicationis poena ipso facto incurrienda, et per Romanum dumtaxat Pontificem relaxanda. Quam porro iustum ac debitam damnatio-

nis sententiam Benedictus XIV edita Constitutione confirmavit, summosque Catholicos Principes haud excitare praetermisit, ut ad convellendam perditissimam sectam, et a communi periculo propulsandam vires omnes curasque conferrent. Atque utinam supremi iidem Principes Decessoris Nostri vocibus aures praebuissent; utinam in causa tam gravi non remissius egissent, numquam certe fuissent deplorandi nostra patrumque memoria tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. Iamvero quum improborum furor minime conqueceret, recens ortam *Carbonariorum* sectam in Italia prasertim longe lateque propagatam Pius VII Praedecessor Noster anathemate percūlit, parique incensus animarum studio Leo XII tum superiores, quas memoravimus clandestinas societas, tum quascumque alias quovis tandem nomine appellatas, quae contra Ecclesiam, civilemque potestatem conspirarent, Apostolicis suis Litteris condemnavit, atque universis fidelibus sub gravissima excommunicationis poena prohibuit. Attamen impensa haec Apostolicae Sedis studia haud illum habuerunt exitum, qui fuissest expectandus. Neque enim domita, et cohibita umquam est *Massonica* haec, de qua loquimur, secta, verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicumque gentium impune se iactet, atque audacius efferatur. Quam rem inde Nos repetendam magna ex parte existimavimus, quod plerisque ignorantia fortasse iniquorum consiliorum, quae in clandestinis iis coetibus agitantur,

falsa insederit opinio innoxium hoc esse societatis genus, atque institutum, quod in adiuvandis hominibus, eorumque relevandis aerumnis unice versetur; nihil proinde contra Ecclesiam Dei ex illo esse pertimescendum. Id vero quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Quid enim sibi vult illa hominum cooptatio cuiuscumque tandem religionis et fidei sint? Quid illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum iusurandum ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, numquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? Quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devotent, si forte a iuramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet, quae diem lucemque tantopere reformat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Iamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium Societates, quae in Catholica Ecclesia florescunt. Nihil in eis retrusum atque abditum, patent omnibus leges, quibus reguntur, patent quae iuxta Evangelii doctrinam exercentur opera caritatis. Atqui Catholicas huiusmodi Sodalitates tam salutares, tam excitandae pietati, recreandisque pauperibus oportunas oppugnari aliqui, et vero etiam deleri non sine dolore videimus, dum contra foveatur, vel saltem toleratur tenebricosa Massonica societas tam Ecclesiae Dei inimica, tam periculosa etiam securitati regnum? Illud vero graviter Nos et acerbe ferimus, Venerabiles Fratres, quod in huiusmodi reprobanda secta iuxta Decessorum Nostrorum Constitutiones, segnes nonnullos esse, et quasi indormientes videamus,

quos in re tam gravi commissi muneris et officii ratio excitatissimos poscit. Quod si qui in hac opinione versantur, Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores subpoena anathematis editas, nullam habere vim iis in regionibus , ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur, ii certe vehementer errant; ac Nos pravae huius doctrinae commentum alias, ut scitis, Venerabiles Fratres, reprobavimus, iterumque hodierno die reprobamus et condemnamus. Numquid enim suprema illa pascendi regendique universi dominici gregis potestas, quam in persona Beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, ac supremum inde quod exercere in Ecclesia debent magisterium, a civili pendeat potestate, aut aliqua ratione coerceri ab illa possit et coactari ? Quae cum ita sint , ne minus cauti homines, iuvenesque in primis decipientur, ac ne ex Nostro silentio aliqua tuendi erroris arripiatur occasio, Apostolicam attollere vocem decrevimus, Venerabiles Fratres; atque hic in consessu Vestro memoratas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmantes, *Massonicam* illam, aliasque eiusdem generis Societas quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinentur auctoritate Nostra Apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis , gradus ac dignitatis , et ubicumque terrarum sint, tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis , quae in memoratis Praedecessorum No-

strorum Constitutionibus continentur. Nunc, quod reliquum est, pro paterni animi Nostri studio monemus et excitamus fideles , qui forte eiusmodi sectis nomen dederint , ut ad saniora se consilia recipient, funestosque illos coetus et conventicula deserant, ne in sempiternae ruinae baratum prolabantur; reliquos vero fideles omnes, pro sollicita qua urgemur animarum cura , vehementer hortamur, ut a dolosis sectariorum labiis caveant, qui quamdam honesti speciem praeseferentes contra Christi religionem et legitimos principatus inflammatu odio feruntur , idque unum spectant atque agunt, ut iura quaeque tam divina quam humana pessumdent. Noverint, hos sectarum gregales tamquam lupos esse quos ovium pelle contextos ad exitium gregis venturos praedixit Christus Dominus ; neverint in eorum numero esse habendos a quorum consuetudine, congressuque sic Nobis interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit. Faxit nostrum omnium precibus exoratus dives in misericordia Deus, ut auxiliante gratia sua redeant insipientes ad cor, errantesque in viam iustitiae reducantur; faxit ut compresso perditorum hominum furore, qui per supra memoratos coetus impia, ac nefaria moliuntur, a tam multis, tamque inveteratis malis recreari aliquando tum Ecclesia tum humana societas possint. Quae ut Nobis ex votis succedant deprecaticem apud clementissimum Deum adhibeamus Sanctissimam Virginem Dei ipsius matrem ab origine immaculatam, cui datum est Ecclesiae hostes , atque errorum

monstra confringere; nec non patrocinium imploremus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum gloriose cruore Alma haec Urbs consecrata est. Horum ope atque auxilio, quod a divina bonitate flagitamus , facilius Nos assecuturos confidimus.

EPISTOLA AD VENERABILES FRATRES ARCHEPISCOPOS  
ET EPISCOPOS AMERICAS MERIDIONALIS.

PIVS PP. IX.

**V**enerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. Meridionali Americae tot undique calamitatibus oppressae , non sine peculiari animi Nostri solatio laetissimam spem affulgere videmus ex indigena illo adolescente Clero , quem solida pietate sanisque doctrinis apud Nos imbuendum curamus. Vos certe non latet quanto molimine Collegium ei excipiendo instituendoque parari voluerimus, et quam alacriter, non obstante rerum Nostrarum angustia, studuerimus necessaria tantae rei conferre subsidia. Scilicet agebatur de comparandis idoneis Ecclesiae ministris, de procuranda per eos istis in regionibus animarum salute, ac etiam de novo Clero per ipsos in patriam reversos informando. At cum tenuitatem Nostrarum virium imparem prorsus experiamur oneri ferendo , ac vereamur iccirco , ne opus tanto nisu excitatum et adeo faustis initum auspiciis mole ipsa sua corruat; haud ingratum Vobis futurum esse arbitrati sumus, si, ad omen avertendum, illud pastoralis Vestrae caritatis officiis commendaremus. Nam etsi apprime intelligamus, nec excitatione nec stimulis indigere zelum Vestrum in negocio, ubi agitur de accurata Cleri indigenae institutione, seu de prae-

cipua spe et emolumento gregis Vobis crediti; Vos tamen non inopportunum ducturos censuimus, illud Vobis obverti, quorum animadversionem tot inter perturbationes, angores, sollicitudines, res a conspectu remota, utut gravissima, effugere posset aliis oblitterata curis. Nos sacro huic ephebeo, quod paterna complectimur caritate, pro viribus certe non deerimus: dum vero amplissima ei ominamur incrementa, Vobis, Venerabiles Fratres, constantiam, caelestem opem ac solamen omne adprecamur, cuius auspicem simulque praecipuae benevolentiae Nostrae testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Vobis et Clero ac populo unicuique Vestrum commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Septembris 1863 Pontificatus Nostri Anno Vicesimo.

## PIVS PP. IX.

AD PERPETVAN REI MEMORIAM

**G**ravissimum supremi Nostri Apostolici ministerii munus omnino postulat, ut intentissimo studio ea semper peragenda curemus, quae ad Catholicae Ecclesiae causam, animarumque salutem Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissam tuendam quovis modo conducere posse cognoscimus. Incredibili certe animi Nostri moerore, ubi ad hanc Petri Cathedram nullis Nostris meritis, sed arcano divinae providentiae consilio, fuimus evecti, vidimus et lamentati sumus maxima et nunquam satis lugenda damna et mala, quae asperrimis hisce temporibus catholicae religioni, ac vel ipsi civili societati inferuntur ab omnis iustitiae ac veritatis osoribus per pestiferos libros, libellos, et praesertim ephemerides perniciosissimis quibusque erroribus, pravisque doctrinis plenissimas, ac acerrimo et plane diabolico contra divinam nostram religionem odio conscriptas, ac longe lateque in vulgus editas, ac disseminatas. Itaque inter alia haud omisimus viros pietate, ingenio, sanaque doctrina praeditos etiam atque etiam excitare, ut sub proprii potissimum Antistitis ductu suis scriptis augustam nostram religionem defenderent, eiusque oppugnatores refutarent, ac tot monstrosa illorum opinionum portenta detegerent, refellerent, profligarent, et incautorum praesertim hominum, ac imperitae iu-

ventutis cereae in vitium flecti mentes animosque veritatis lumine illustrarent. (Alloc. die 20 Aprilis 1849.) Ac non mediocri certe afficimur laetitia, cum complures ubique surrexerint viri, qui Nostris hisce exhortationibus ac votis perlibenter obsequentes, et egregio erga Catholicam Ecclesiam, et hanc Sanctam Sedem studio animati, idoneis scriptis tetricam tot serpentum errorum colluviem, ac funestam pravarum ephemeridum pestem propulsare, et veritatem iustitiamque tutari cum sui nominis laude non desinunt. Ut autem certi semper existerent homines, qui Nobis, et huic Petri Cathedrae ex animo addicti, ac sanctissimae nostrae religionis amore, ac sanae, solidaeque doctrinae, et eruditionis laude spectati valeant bonum certare certamen, suisque scriptis rem catholicam, salutaremque doctrinam continenter tueri, et ab adversariorum fallaciis, et erroribus vindicare; optavimus, ut Religiosi inclytæ Societatis Iesu viri Scriptorum Collegium, ex ipsis Societatis Sodalibus conflatum, constituerent, qui opportunis, et aptis scriptis tot falsas ex tenebris emersas doctrinas naviter scienterque confutarent, et catholicam religionem, eiusque doctrinam, ac iura totis viribus indesinenter propugnarent. Qui Religiosi Viri, Nostris desideriis omni observantia et studio quam libentissime obsecundantes, iam inde ab anno 1850 Ephemeridem, cui titulus *La Civiltà Cattolica*, conscribendam, typisque vulgandam suscepérunt. Atque illustria majorum suorum vestigia sectantes, et nullis curis nullisque labibus unquam parcentes, per eamdem Ephemeris

dem diligenter, sapienterque elaboratam, nihil antiquius habuere, quam doctis, eruditisque suis lucubrationibus divinam augustae nostrae religionis veritatem , ac supremam huius Apostolicae Sedis dignitatem, auctoritatem, potestatem, rationes viriliter tueri, defendere, ac veram doctrinam edocere, propagare, et multiplices huius praecipue infelicissimae nostrae aetatis errores, aberrationes, et venenata scripta cum christiana, tum civili reipublicae tantopere perniciosa detegere, oppugnare, ac nefarios illorum conatus retundere, qui catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem ipsam societatem funditus evertere commoliuntur. Ex quo evenit ut commemoratae Ephemeridis Scriptores Nostram benevolentiam, existimationemque, et Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum, et clarissimorum Virorum laudes sibi quotidie magis merito comparaverint, eorumque Ephemeris a bonis omnibus , ac bene sentientibus viris summo in pretio fuerit habita, et habeatur. Et quoniam ex huiusmodi Ephemeride, sexdecim abhinc annos vigente , non levia in rem christianam, et litterariam rempublicam bona, Deo bene iuvante, cum ingenti animi Nostri gaudio redundarunt; iccirco Nostris in votis omnino est, ut tam praeclarum opus ad maiorem Dei gloriam, animarumque salutem [curandam, atque ad rectam studiorum rationem magis in dies iuvandam stabile perpetuo consistat, et efflorescat. Itaque hisce Litteris idem Collegium Societatis Iesu Scriptorum Ephemeridis vulgo *La Civiltà Cattolica* in peculiari ipsis domo habendum Auctoritate Nostra Ap-

stolica, perpetuum in modum erigimus, et constituimus iuxta leges, et privilegia quibus alia eiusdem Societatis Iesu Collegia utuntur, ac fruuntur, ita tamen, ut Collegium idem a Praeposito Generali ipsius Societatis in omnibus pendere plane debeat. Huius autem Collegii institutum esse volumus, ut qui ab ipso Praeposito Generali electi fuerint ad eamdem Ephemeridem vel alia scripta conficienda, prout Nobis, aut Romanis Pontificibus Successoribus Nostris opportunius videbitur, debeant omnem eorum operam, industriam, ac studium sedulo impendere in lucubrandis, edendisque scriptis pro catholicae religionis, et huius Sanctae Sedis defensione. Quocirca volumus, ut iidem Scriptores pergant habitare in aedibus, quas ipsis in Hospitio hic in Urbe haereticis convertendis iam destinavimus, iis tamen servatis conditionibus, quas praescripsimus, atque id donec opportunior domus comparari queat. Concedimus autem, ut iidem pro sui muneris ratione possint librarias officinas habere, librosque typis in lucem edere, et vendere, ac longe lateque in omnes regiones spargere, ac disseminare. Redditus vero, qui in praesentia sunt, quique in posterum esse poterunt, ad opus idem sustentandum, ac magis in dies amplificandum adhiberi debent, ut tot tantisque inimicorum hominum aggressionibus ampliora semper, ac validiora obiciantur praesidia. Quod si unquam quocumque casu contigerit, ut eidem Scriptorum Collegio ab hac alma Urbe Nostra sit recedendum, volumus, ut ipsi in alia qualibet opportuniore civitate a Praeposito Societatis Iesu Generali cum Nostro, et Ro-

manorum Pontificum Successorum Nostrorum consensu statuenda, possint consistere, ibique suum munus obire, quoad amotis impedimentis in pristinam sedem ab eodem Praeposito Generali revocentur. Si autem nullus forte opportunus locus operi prosequendo reperiatur, volumus, ut tum fundi, tum redditus in eamdem operam reserventur, mature instaurandam, ubi primum licuerit. Atque has omnes facultates non solum praesentibus commemorati Collegii Sociis, verum etiam aliis, qui a Praeposito Generali ad idem munus obeundum hoc, futurisque temporibus diligentur, perpetuum in modum concedimus, reservata Nobis, ac Successoribus Nostris dumtaxat facultate aliquid circa idem Societatis Iesu Scriptorum Collegium immutandi, et aliis omnibus cuiusque dignitatis, auctoritatis, et gradus penitus interdicta. Haec omnia statuimus, volumus, concedimus, praecipimus, atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati, et auditи non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis Nostrae vitio, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis integrum, aperitionis oris aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri,

et obtainere , et ab omnibus , ad quos spectat , et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari , ac supradicto Collegio Societatis Iesu Scriptorum Ephemeridis vulgo *La Civiltà Cattolica*, nec non personis, quarum favorem praesentes hae Litterae concernunt , perpetuis futuris temporibus suffragari debere , neque ad probationem , seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse, ac fore volumus, et declaramus. Non obstantibus, quoties opus fuerit, de iure quaesito non tollendo, aliisque Cancellariae Nostrae Apostolicae Regulis, itemque Societatis Iesu etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et concessionibus, quamvis expressa, specifica, et individua mentione , ac derogatione dignis ; quibus omnibus , et singulis , eorum totis tenoribus , ac formis praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum dumtaxat effectum latissime, plenissime, ac specialiter , et expresse derogamus , ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XII Februarii anno MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri anno Vicesimo.

## ALLOCVTIO

**HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XI. MAI MDCCCLXVI.**

**VENERABILES FRATRES**

**C**um ob luctuosissimam temporum acerbitudinem tot tantisque Ecclesia Christi undequaque calamitatibus urgeatur maximam patimur cordis tristitiam, nec adhuc satis factum est doloribus. Ubique nos luctus, undique desolatio circundant: sanctissima enim Evangelii praeepta impugnantur, inviolabilia Sedis huius Apostolicae iura proculcantur, vanae ac peregrinae doctrinae in populum proferuntur, societas ipsa civilis dissolvi videtur. Infernae si quidem potestates durissimum adversus Dominum et adversus Christum eius bellum exercent, quo fidem catholicam si fieri posset, labefactare contendunt. Quare oculos nostros in montem Dei excelsum ad beatam scilicet Hierusalem levamus, unde auxilium cito Nobis ad futurum confidimus, ibique novos Patronos quaerere statuimus, qui, humanis deficientibus auxiliis in aciem prodeant ad Domini bellum strenue pugnandum. Prae primis occurront Beatus Iosaphat Kuncewicius Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum, et Beatus Petrus de Arbues in Regno Hispanico Inquisitor. Unus inter cetera egregia virtutum facinora pro asserendo Sedis huius Apostolicae Primatu certavit usque ad mortem, ac

uti bonus pastor animam suam pro ovibus posuit, quae foedum ob schisma a Christi ovile discesserant. Alter vero virtutum ac doctrinae laude conspicuus ut sanctam tectamque servaret divinorum dogmatum integritatem ab iisdem, qui Christum Dominum crucis patibulo affixerant, sustinuit passionem. Horum interventu Deus ponet inimicos nostros sicut stipulam ante faciem venti, impletisque facies eorum ignominia, et tunc cognoscent quia ipse est solus Altissimus in omni terra. Quapropter in id animum Nostrum ac studia Nostra convertimus ut ad exitum amborum Martyrum Canonizationis **Causae** perducantur. Tali modo splendidissima eorum merita super candelabrum posita collucebunt omnibus qui in domo sunt; fideles populi glorificabunt supremum bonorum omnium datorem, atque habebunt in utroque ob oculos virtutum exemplar, quod imitentur, firmissimum in hisce calamitatibus praesidium quo tueantur. Servatis igitur Praedecessorum Nostrorum more ac instituto in praesenti amplissimo Conventu de claris eorumdem Beatorum gestis ac portentis ad Nos referri et a vobis audiri exoptamus. Ac primum de Beato Iosaphat Kuncewicio, deinde de Beato Petro Arbuesio.

*Hic Summus Pontifex loquendi finem facit, et Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus de Beato Iosaphat Kuncewicio relationem facit. Quia absoluta, Sanctitas Sua ita loquitur.*

Excepistis, Venerabiles Fratres, quam miti et humili corde Beatus Iosaphat erga gregem sibi commissum se gesserit, quanta pertulerit ut Catholicae

Ecclesiae unitati consuleret, et quomodo illum Deus prodigiorum virtute mirabilem fecerit ad ostendendam hominibus pretiosam Martyrii coronam, quam in capite eius super sidera posuerat. Haec iam severissimo examine perpensa cunctis fuere comprobata suffragiis. Placet ne igitur vobis, ut ad solemnem eius Canonizationem per decretoriam sententiam procedamus ?

*Hic Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de Beato Petro Arbuesio. Deinde Sanctitas Sua sic prosequuta est.*

Venerabiles Fratres, ex his quae relata sunt intellexistis quam fideliter munere sibi ab hac Apostolica Sede demandato Beatus Petrus Arbuesius perfunctus sit; quantaque diligentia catholicum frumentum ab infidelium et haereticorum zizaniis secernere studuerit. Verum impii dixerunt opprimamus eum quoniam contrarius est operibus nostris, eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius. Iniquitas autem eorum mentita est sibi; nam Deus mortem Iusti huius miraculorum gloria illustrans eam in conspectu sui pretiosam fuisse demonstravit. Haec omnia iuxta Apostolicas sanctiones ad examen pluries vocata affirmativam retulere sententiam. Placet ne ergo vobis ut ad illius solemnem Canonizationem rite procedamus ?

*Postquam omnes responderunt Placet, Sanctitas Sua sic prosequuta est.*

Summa quidem laetitia , Venerabiles Fratres , nunc cordis Nostri amaritudines solatur, cum una-

nimes vestras de hoc tam gravi negocio sententias excepimus. Verumtamen cum hac super re alia erunt colligenda apud Nos Consistoria , dies ad id operis designatos vobis significare curabimus. Interim preces fundite ut in admirabili Dei lumine mens Nostra lumen videat.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. IUNII MDCCCLXVI.

VENERABILES FRATRES

**A**postolici Nostri Principatus ratio postulat, ut formidolosissimis hisce temporibus Nostrorum Consiliariorum numerum augeamus, qui una Vobiscum omnem operam, auxiliumque Nobis dare studeant ad rem christianam tot ubique calamitatibus afflictam tuendam, ac securius administrandam. Itaque de catholicae Ecclesiae Nobis divinitus commissae bono, ac de amplissimi vestri Ordinis dignitate, et splendore vehementer solliciti in Vestrum Collegium Viros ingenio, et virtute spectatos, ac de Nobis, et Apostolica hac Sede bene meritos hodierno die cooptandos esse existimavimus.

Atque horum primus est Venerabilis Frater **Paulus Cullen** Urbaniani Collegii christiana fidei propagandae huius almae Nostrae Urbis Alumnus, ac Pro-Rector, ibique Sacrarum Litterarum Doctor, et iam Armacanus, in praesentia Dublinensis Archiepiscopus, cuius eximias virtutes omnium laudibus celebratas non est cur pluribus hic commoremus. Verum tacere non possumus singularem illam episcopalem vigilantiam, curam, fortitudinem, qua omnes boni pastoris partes explens, catholicae Ecclesiae, et Sanctae huius Sedis causam, iura,

doctrinam sapientissimis scriptis fortiter propugnabit, et perniciosissimos adversariorum errores refutavit, ac fidelium eius curae commissorum incolumenti diligentissime consuluit, et funestissimos rebellionis motus resellere, profligare, debitamque legitimae potestati ex catholicae Ecclesiae doctrina subiectionem, et obedientiam inculcare, ac Hiberniae tranquillitati prospicere haud omisit. Nec silentio est praetereunda egregia illa sollicitudo, ac prudentia, qua idem Antistes Nostro iussu Nationali celebri Concilio in Hibernia hisce temporibus habito praefuit, et in eadem Hibernia una cum aliis illius illustris Nationis Episcopis Catholicam Universitatem erigendam, ac Dublini praeter Clericorum Seminarium plures scholas utriusque sexus iuventuti eatholica doctrina instituendae excitandas curavit. Tanto autem erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amore, et studio ipse Antistes flagrat, ut una cum suis fidelibus, ac totius Hiberniae catholicis gravissimas Nostras, et huius Sanctae Sedis angustias sublevare nunquam intermiserit. Haec et alia pulcherrima, quae praetermittimus praeclarissimi tum Armacani, nunc Dublinensis Antistitis facta Nos induxerunt ad illum Sacra Purpura merito decorandum. Ac certi sumus, id non solum Vobis, verum etiam bonis omnibus, et universae praesertim Hiberniae Nationi gratissimum fore, quam omni semper benevolentia prosecuti sumus, ac prosequimur.

Alter vero est Venerabilis Frater Gustavus de Hohenlohe Archiepiscopus Edessenus in partibus infidelium nobilissimo Principum genere natus, qui

religionis , ac pietatis laude , vitaeque integritate spectatus, aliisque egregiis dotibus praeditus Nos ob tristissimas rerum vicissitudines ab hac urbe decidere, et Caietam petere coactos sua sponte libentissime est secutus , ac plures ab hinc annos Nostrarum secretarum largitionum Magister , hoc munere praeclare est perfunctus, ac summam suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram fidem, et observantiam clare aperteque ostendit, ac probavit.

Vobis autem compertum exploratumque est , Venerabiles Fratres, qua ingenii acie, et qua civilis, sacrique et praesertim criminalis iuris scientia polleat Dilectus Filius Antonius Matteucci Antistes Noster Domesticus, ac Protonotarius Apostolicus, qui postquam Curatoris Templi , et Operum Vaticanorum munere provide et integre est perfunctus , officia Secretarii Consultae , Vice-Camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Praepositi publicae incolumitati tuenda difficillimis hisce temporibus multos per annos omni cura , studio , diligentia , ac laude obivit.

Neque ignoratis egregias sane animi ingenique dotes , quibus excellit Dilectus Filius Dominicus Consolini Antistes item Noster Domesticus, et Protonotarius Apostolicus. Is enim eximiis religionis, pietatisque sensibus animatus, rebusque optimis institutus, ac singulari modestia ornatus, et litteris, severioribusque disciplinis apprime excultus, postquam Nostri, et huius Sanctae Sedis Delegati munere fungens Camertibus, Firmanis , ac Perusinis tanta sagacitate , prudentia , aequitate , integritate praefuit, ut illorum populorum amorem sibi com-

paraverit, electus a Nobis Vice-Praefectus Consilii Status, ac Praeses Curationis cognoscendis iudiciis penes idem Consilium, haec gravissima munera sedulo, sapienterque in exemplum semper explenda curavit.

His autem addimus Dilectum Filium Aloisium Bilio inclytæ Religiosae Barnabitarum Familiae Alumnum, vitae innocentia, morum gravitate, religionis studio, et eximia prorsus christiana humilitate, ac praestanti ingenio spectatum, qui graecis etiam litteris eruditus, ac severiorum disciplinarum peritia summopere commendatus, philosophiam prium in variis Collegiis tradidit, ac deinde Religiosae suae Familiae Clericos hic in Urbe tum theologicarum rerum, tum canonici praesertim iuris scientia accurate imbuendos curavit, et adlectus inter iudices contra haeresim Nobis, et huic Sanctae Sedi egregiam in gravissimis tractandis negotiis navavit operam, et Nostram sibi benevolentiam conciliavit.

Hi sunt viri, quos vestro Ordini hodie adscribendos esse censemus.

**Quid Vobis videtur ?**

Auctoritate omnipotentis Dei Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra [creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales

**PAULUM CULLEN** Archiepiscopum Dublinensem.

**GUSTAVUM DE HOHENLOHE Archiepiscopum  
Edessenum a Secretis nostris Largitionibus.**

**ALOISIUM BILIO.**

**Diaconos vero**

**ANTONIUM MATTEUCCI , Vice-Camerarium  
Sanctae Romanae Ecclesiae.**

**DOMINICUM CONSOLINI.**

**Cum dispensationibus, derogationibus et clau-  
sulis necessariis, et opportunis.**

**In Nomine Patris  et Filii  et Spiritus   
Sancti. Amen.**

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXV. IVNII MDCCCLXVI.

VENERABILES FRATRES

Turbulentissimam ex inferorum portis excitatam tempestatem catholicae Ecclesiae quotidie magis ingruere, et multiplices, gravissimasque civilis societatis calamitates, maximumque omnium praesertim bonorum luctum, pavorem, trepidationemque ubique asperrimis hisce temporibus augeri una Nobiscum videtis, et ingemiscitis, Venerabiles Fratres. Itaque omni fiducia levemus oportet oculos nostros ad Dominum Deum Nostrum humillimis ac ferventissimis Ipsum precibus sine intermissione exorantes, ut recordatus misericordiae suae avertat indignationem suam a nobis, omnesque homines divinae suae gratiae lumine propitius illustret, eosque de errorum tenebris, ac vitiorum caligine ad virtutis, iustitiae, salutisque semitas misericorditer reducat, et optatissimam pacem, ac tranquillitatem Ecclesiae suae sanctae, et humanae societati concedat. Quo vero facilius dives in misericordia Deus inclinet aurem suam ad Nostras, vestras, omniumque bonorum preces, constituimus novos ac potentes apud Divinam Bonitatem patronos habere, qui validissimas suas deprecationes pro hominibus Deo offerant, et omnia caelestis gratiae suae dona,

ac bona omnia, et beneficia humano generi impietant per eius Filium Dominum nostrum Iesum Christum, qui solus est amantissimus noster Redemptor et Salvator. Quocirca causas Canonizationis Beatorum undeviginti Martyrum, qui Gorcomienses appellantur, et Mariae Franciscae, cui a vulneribus Domini Nostri Iesu Christi nomen, promovendas existimavimus, ut insignia illorum merita totius Ecclesiae venerationi proposita omnibus luceant, et fideles populi agnoscant, se in iis habere, et aerumnarum praesidium, et imitandarum virtutum exemplar. Atque iccirco ex more institutoque Praedecessorum nostrorum in hoc amplissimo vestro conventu de eorumdem Beatorum vita, rebusque praecipue gestis, et prodigiis hodie ad Nos referri, et a Vobis audiri expetimus, ac primum de Beatis Gorcomiensibus Martyribus, deinde vero de Beata Maria Francisca a Vulneribus Iesu Christi.

*Hic Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de undeviginti Gorcomiensibus Martyribus. Deinde Sanctitas Sua :*

Audistis, Venerabiles Fratres, quanta constantia hi fortissimi athletae pro catholica religione contra Calvinianae haeresis sectatores strenue decertaverint, quantaque argumentorum vi sanctissimi et admirabilis in primis Eucharistiae Sacramenti veritatem demonstraverint, defenderint, ac debitam huic Apostolicae Sedi, Romanoque Pontifici fidem et obedientiam propugnaverint, quantoque christiani animi robore acerbissima quaeque tormenta

perpessi fuerint , et quanto gaudio gloriosum pro Christo sanguinem vitamque ipsam profuderint , divini amoris signe summopere incensi. Accedunt etiam prodigia accuratissimo, ut moris est, examine probata, quibus Deus eorum sanctitatem ostendit. Placet ne igitur Vobis, ut iuxta Apostolicae huius Sedis consuetudinem ad solemnem eoramdem Beatorum Martyrum Canonizationem procedamus ?

*Postea facta ab eodem Cardinati relatione causae Beatae Mariae Franciscae, idem Summus Pontifex sic est loquutus :*

Expositae Vobis fuerunt, Venerabiles Fratres, eximiae sane virtutes, quibus claruit Beata Maria Francisca a Christi Iesu vulneribus. Ipsa enim Neapoli nata vel a teneris annis omnes mundi illecebras, et insanias falsas plane despexit, ac mirifice proficiens in scientia sanctorum casta corpore et mente, vestibus Tertianae Instituti Sancti Petri de Alcantara induta, ac solemnis nuncupatis votis suum corpus quotidianis afflictationibus in servitatem redigens, et asperrima quaque patientissime perferens , ac pro suis persecutoribus obsecrans , summoque in Deum, eiusque Immaculatam Matrem Virginem Mariam amore flagrans in deliciis habuit, Christum in Eucharistia latentem ex toto corde, et anima diligere , et acerbissimos Eius patientis cruciatus , ac dolores tanto pietatis ardore continenter meditari, ac in se referre, ut lacrimis difluens, et saepe, sensibus sopitis, in Deum fuerit abrepta. Ex tam incensa erga Deum caritate extitit illa profecto egregia eiusdem Beatae in homines voluntas, qua et spirituali illorum bono, et tem-

porariis calamitatibus omni cura , studioque opitulari numquam intermisit. Quibus autem mirificis gratiarum charismatis illam Deus cumulaverit, quibusque miraculis rite approbatis illius sanctitatem illustraverit accepistis, Venerabiles Fratres. Itaque videtur ne Vobis, ut eiusdem quoque Beatae Mariae Franciscae Canonizationem solemni ritu peragamus ?

*Postquam omnes responderunt, Placet, Sanctitas Sua sic prosequuta est :*

Maximo quidem gaudio Nobis fuere vestrae sententiae , quas de hac re rogavimus. Verum cum probe noscatis, alia de tanti momenti negotio habenda esse consuetis solemnitatibus Consistoria, ictore illorum diem Vobis significandum curabimus.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE VI. AVGVSTI  
MDCCCLXVI.

VENERABILES FRATRES

Cum Patriarchalis Antiochena Syrorum Ecclesia suo fuerit orbata pastore ob mortem bonae memoriae Ignatii Antonii Samhiri, Nos de spirituali illorum fidelium bono solliciti, ac peculiaria rerum adiuncta p[re] oculis habentes Venerabilem Fratrem Dionysium Georgium Scelhot Archiepiscopum Aleppensem Syrorum eiusdem Patriarchatus Vicarium Apostolicum constituimus. Unius autem quasi anni spatio elapso, idem Vicarius Apostolicus, aliquique Venerabiles Fratres Syrae Nationis Sacrorum Antistites Nobis enixe supplicarunt, ut eis veniam tribueremus, qua in Synodum rite congregati novum Patriarcham eligere possent. Ac Nos huiusmodi votis quam libentissime obsecundavimus, et per Nostram Congregationem Fidei Propagandae praepositam pro Ecclesiarum Orientalium negotiis opportuna monita et mandata tum commemorato eiusdem Patriarchalis Ecclesiae Vicario Apostolico, tum Religioso Viro Nicolao a Barcinone Franciscalis Ordinis Capulatorum Pro-Delegato Apostolico Mesopotamiae dari iussimus, ut omnia cum summa

animorum concordia ad sacrorum canonum normam prospere, feliciterque procederent.

Itaque iidem Venerabiles Fratres Syrae Nationis Sacrorum Antistites proximo mense Maio Aleppum convenerunt, ibique Synodum concelebrantes de rebus ad sacram praesertim liturgiam pertinentibus tractarunt, ac deinde die vigesimoprimo proximi mensis Iunii Cathedrale Aleppi Templum Immaculatae Deiparae Virgini Mariae in caelum enectae sacrum una cum praedicto Pro-Delegato Apostolico adierunt, et implorato Sancti Spiritus lumine auxilioque, collatis suffragiis, elegerunt in novum Patriarcham Antiochenae Syrorum Ecclesiae Venerabilem Fratrem Iulium Philippum Harcus Amidensem Syrorum Antistitem. Cum autem eiusdem Synodi acta ex more maiorum supremo Nostro, ac huius Apostolicae Sedis iudicio subiecerint, Nos eidem Nostrae Congreg. Fidei Propagandae ex more diligenter examinanda commisimus.

Atque non solum commemorati Venerabiles Fratres, verum etiam novus electus Patriarcha obsequentissimas suas ad Nos dederunt Litteras. Idem vero Venerabilis Frater Iulius Philippus Harcus, ut singularem suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram fidem, pietatem, et observantiam luculenter ostenderet, raro quidem exemplo romanum statim aggressus est iter una cum aliis duobus Venerabilibus Fratribus, Syrae Nationis Sacrorum Antistitibus, scilicet Archiepiscopo Aleppensi, et Archiepiscopo Mausiliensi, ut Apostolorum trophyea venerari, ac suae electionis confirmationem, et Sacrum Pallium a Nobis postulare, ac etiam voce

catholicos animi sui sensus Nobis coram testari , et confirmare posset. Quod quidem Nobis gratissimum accidit.

Iam vero cum eadem Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium , qui negotiis Propagandae Fidei pro Ecclesiis Orientalibus praesunt , postquam res omnes diligentissimo examine perpendit, Nos deprecari censuerit, ut, sanatis, quoties opus fuerit, quibusque vitiis et irregularitatibus, quae in eiusmodi electionem forsitan irrepere potuerint , memoratam electionem , seu postulationem adprobemus, et confirmemus, eiusdem Congregationis consilium et sententiam alacri, libentissimoque animo amplectendam esse existimavimus. Quamobrem praefatam electionem, seu postulationem Venerabilis Fratris Iulii Philippi Harcus, in Patriarcham Siro-Antiochenum, sanato quocumque defectu, confirmare ac sancire duximus , et iceirco hodierno die Consistorium habendum esse decrevimus, quo idem Venerabilis Frater clare aperteque intelligat, quae sit Nostra erga ipsum benevolentia. Ut autem eidem novo Patriarchae luculentius paternae Nostrae caritatis testimonium preebeamus , eum , ut postulat , Sacro Pallio de corpore Beati Petri sumpto decorare, et hoc pastoralis officii plenitudinis insigne eidem Nos ipsi imponere constituimus, consuetis adhibitis caeremoniis. Insuper novum Patriarcham omnibus privilegiis ditabimus , quibus eius praedecessores ab hac Apostolica Sede ornari consueverunt. Hoc sane pacto rem certe gratissi-

mam cum ipsi, tum inelytae Syrae Nationi faciemus, quam haec Saneta Sedes singulari semper benevolentia est prosequuta, ac prosequitur. Et quoniam novus Patriarcha Nobis et eidem Apostolicae Sedi ex animo addictus, pietatis, virtutisque laude, et catholicae praesertim religionis studio, aliisque egregiis dotibus praestat, siccirco in eam profecto spem erigimur fore, ut ipse divino auxilio fretus, ac sedulo et unice quaerens quae Iesu Christi sunt, sartam, tectamque ecclesiastici Ordinis disciplinam tueri, sanctamque et doctam institutionem curare, et promovere, et catholicos in sanctissimae fidei nostrae professione quotidie magis confirmare, ac miseros errantes in omni patientia, et doctrina ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare, aliasque omnes gravissimi sui ministerii partes summa cura ac vigilantia implere studeat ad consummationem Sanctorum in aedificationem Corporis Christi.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra confirmamus, et approbamus electionem, seu postulationem a Sacrorum Antistitibus Syrae Nationis factam de persona Venerabilis Fratris Iulii Philippi Harcus Patriarchae, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, Ecclesiae Amidensis, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Siro-Antiochenam, praeſicientes eum in Patriarcham et Pastorem eiusdem

Nationis, prout in [Decreto, et Schedula Consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris  et Filii  et Spiritus   
Sancti. Amen.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIX. OCTOBRIS  
MDCCCLXVI.

VENERABILES FRATRES

**C**um graves calamitates et aerumnae quotidie magis catholicae Ecclesiae ingruant, tum omni fide, ac spe levamus cor Nostrum ad Dominum Deum Nostrum, qui nos de tantis periculis eripuit, et, uti confidimus, secundum magnam misericordiam suam adhuc eripiet. Et quoniam formidolosis hisce temporibus de Dominici gregis salute vel maxime solliciti sumus, iccirco eo maiores curas ad illius bonum curandum conferimus, quo graviores nostrae tribulationes crescere videntur. Namque inter maximas molestias, et angores nulla certe maiore uti possumus consolatione, quam si misericors Dominus Nostris curis benedicens, votisque annuens, per Apostolicum Nostrum ministerium efficere dignetur, ut fideles ab iis, qui ambulant in consilio impiorum et in hypocrisi loquuntur mendacium, plane segregati in fide stabiles permaneant, et se abstinentes ab omni specie mala, ac mutuam in semetipsis caritatem continuam habentes crescant in scientia Dei, et cognitione Iesu Christi, atque per bona opera certam eorum vocationem, et electionem faciant. Ad ostendendas autem fidelibus vias Domini, eosque

ad religionis, pietatis, omnisque christianaे virtutis amorem, exercitationemque excitandos maxime accommodatum esse existimamus, ipsis fidelibus illustria Sanctorum Virorum exempla proponere, qui Christi Iesu vestigia sectantes in ipso ambularunt, et iccirco maximarum virtutum splendore claruerunt. Quamobrem studia Nostra convertimus ad promovendam Causam Canonizationis Beati Pauli a Cruce Fundatoris Congregationis Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis, et Passionis Domini Nostri Iesu Christi. Itaque in hodierno Consistorio ex Praedecessorum Nostrorum more res ab eodem Beato p̄aeclare gestas, ac prodigia ad Nos referri, Vobisque exponi voluimus.

*Hic Summus Pontifex loquendi suam facit, et Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus de Beato Paulo a Cruce relationem habet. Qua absoluta, Sanctitas Sua ita prosequitur:*

Audistis, Venerabiles Fratres, quomodo Beatus Paulus, Apostolum feliciter aemulans gloriatus semper fuerit in Cruce Domini Nostri Iesu Christi, eiusque acerbissimos cruciatus non solum assidue contemplandos, sed etiam imitandos curaverit, quantoque in Deum amore flagrans, et animarum salutis zelo incensus divinae legis praeconis munere sancte fungens nunquam cessaverit in civitatibus, regionibus, locisque campestribus omni studio praedicare Iesum Christum, et hunc Crucifixum, ac fideles tum fidei mysteria edocere, tum Evangelii fluentis imbuiere, et probos acrius ad virtutis, et pietatis studium inflammare, et miseros errantes de perditionis via ad salutis tramitem reducere. Atque etiam acce-

pistis qua mira humilitate, modestia, castitate, et rerum humanarum despicientia, atque assidua caelestium meditatione, et qua eximia in Immaculatam Deiparam virginem Mariam pietate, et in proximum caritate, quibusque aliis heroicis virtutibus ipse praestiterit, quibus gratiarum charismatis fuerit exornatus, et quibus prodigiis Deus huius servi sui sanctitatem probaverit. Placet ne igitur Vobis, ut secundum huius Apostolicae Sedis consuetudinem ad solemnem eiusdem Beati Pauli Canonizationem procedamus ?

*Postquam omnes responderunt, Placet, Sanctitas Sua sic est prosequuta :*

Maximaq; quidem laetitiae Nobis fuerunt vestrae sententiae, quas de hac re rogavimus. Sed cum neminem vestrum lateat, alia de tanti momenti negotio habenda esse consuetis solemnitatibus Consistoria, circa illorum diem Vobis significandum curabimus.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Servator Noster Iesus Christus homines volens caduca despicere, et expectare caelestia ut expeditorem ineant ad Caelum viam, salutare illud consilium tradidit « si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelis ». Divina hac promissione excitati, nulla unquam aetate in Ecclesia Dei defuerunt magnanimi viri, qui licet nobilitate, divitiis, honoribus, rebusque omnibus abundarent, ad quas ferri solent ceteri homines avidissime, tamen non dubitarunt fluxa haec et labilia contemnere, ut nunquam deficientem thesaurum illum assequerentur. Horum in numerum merito adscribendus est Venerabilis Benedictus ab Urbino Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum. Is enim e vetusta, et nobilissima inter Italos gente Passionea Urbini natus Idibus septembbris anno Reparatae Salutis MDLX, atque Marci nomine in baptismate appellatus, familiae decus longe auxit splendore virtutum. A parentibus primum, deinde, cum ii mature decessissent, a tutoribus, in omne virtutum specimen eductus, eorum curis adeo cumulate respondit, ut tenera adhuc illa aetate innocentiam vitae, pietatis studium, gravitatem morum in eo omnes admirarentur. Siquidem silentio potius et solitudini, quam puerilibus oblectamentis vacare, diu in templis morari tum ad

Sacrum audiendum, tum ad alia quaevis religionis officia obeunda egregiae indolis puer unice cupiebat; Sanctam vero Dei genitricem tam vehementi amore prosequebatur, ut nihil ei suavius esset iucundiusque quam Matris nomine illam compellare, atque omnibus pietatis officiis venerari. Decimum septimum aetatis annum cum attigisset, emenso humaniorum litterarum curriculo, Perusiam primum, Patavium exinde missus, ut philosophiae, et iuris scientiae daret operam, ita in ea studia sibi incumbendum existimavit ut, dum ingenium, mentemque humana sapientia imbueret, pietatem impense coleret, susceptamque in baptismate innocentiae stolam puram intactamque servaret. Atque hoc profecto iugi et ferventi ad Deum prece nunquam intermissa divinorum librorum lectione, assidua sacramentorum frequentia feliciter est consequutus. In scientiis vero tam magnos brevi tempore progressus fecit, ut anno secundo supra vigesimum aetatis suaे nondum exacto, Lauream in utroque iure, summa cum laude promeruerit. Haec tam excellens adolescentis Marci virtus, et doctrina, cum stirpis claritate coniuncta, fratres suos consanguineosque facile perpulit ut eum, quem novum fore nominis sui decus augurabantur, ad honores dignitatesque sectandas hortarentur. Hoc itaque consilio vix in patriam reversum Romam ablegant in Cardinalis Albani Aulam. At enim quem non bonarum artium studia, non adolescentis aetatis comites, non omnigenae ad voluptatem illecebrae, a virtutis officiique observantia, et a divinarum rerum commentatione evocaverant, eum neque Urbis splendor, neque aulae fastus, ne-

que honorum ambitio a persequendo sanctioris vitae cursu deflectere potuerunt. Itaque omnium illarum rerum quas secum fert Urbis celebritas, et virorum principum contubernium brevi pertaesus, relictis paucis post mensibus Roma, Forosempronium revertitur, ardenter solitudinis, humilitatis, et poenitentiae studio inflammatus. Quare ad sacramenta frequentius accedere, ferventiori prece Deo supplicare, corpus durius asperiusque tractare; item in verbis parcior, in cibo potuque abstinentior, in vestitu denique coepit esse demissior. Tunc vero tamquam illius auribus divina ea verba insonarent « Si vis perfectus esse vade, vende quae habes, et da pauperibus » Ordini fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nomen dare constituit, utpote quem maxime opportunum diceret ad evangelicum illud consilium exequendum. Verum quominus id perficeret multa adversabantur, praecipue vero infirma eius valetudo. Quam ob rem ne quid temere, et inconsiderate moliretur ad datorem luminum Deum confugiens, ut vocationis suae veritatem ostenderet, daretque corpori vires novae vitae austritati perferendae pares, iteratis precibus imploravit. Tandem caelesti vocatione satis explorata, alacri animo Seraphici Instituti vestes postulavit. Tunc vero, magnopere illi fuit adlaborandum ut difficultatibus se expediret, quibus circumveniebatur. Iis denique victis, disiectisque, Fani, mense Maio anni MDLXXXII in Fratrum Capuccinorum Coenobium, quod a S. Christina nomen habet, exceptus est. Tunc autem cum aspera Instituti veste novum quodammodo sibi hominem induisse visus

tanto animi impetu religiosae vitae austoritatem disciplinamque amplexus est, ut in gravissimum contumaciam morbum inciderit. A quo ut aliquando recreatur, paternam domum repetere medicorum consilio coactus, novum ibi constantiae suae, ac spei, quam in Deo collocaverat, specimen exhibuit. Quamvis enim propinquai et familiares neque hortationibus neque precibus parcerent, quo obfirmatum eius animum fletterent, tamen exorari passus non est; atque ubi, non sine praesentissima Dei ope convaluit, in Coenobium iterum optatissimum veluti in portum devolavit. Tyrocinium tam sancte exegit, ut christianae perfectionis famam in ipso claustralibus vitae exordio referre visus sit. Ut primum ad votorum professionem admissus est, summo perfusus gaudiorum familiarem omnem abdicavit, ac tamquam gravi onere relevatus, adscito Benedicti nomine solennia Ordinis vota nuncupavit. Tunc ad perfectionis laudem intendit animum; atque ita in unaquaque virtute emicuit, ac si, ceteris posthabitatis, illam totis viribus solummodo excoluisset. Amore erga Deum adeo inflammabatur, ut caelestis ille ignis ex ore ipso, atque oculis emicaret. Summa erga proximum caritate incensus, nihil laboris, nihil curarum unquam recusavit, ut aeternae eius salutis consuleret, aerumnas levaret. Religiosae disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem vitae actibus illi unquam defuit. Itaque in quacunque Instituti familia vel praeerat, vel suberat, semper in opere primus, in ordine postremus erat. Ex quo factum est, ut non tyronibus tantum, sed provectionibus etiam Sodalibus absolutissimum Se-

raphicae vitae exemplar sit habitus. Iam vero ad exercendam, qua erga proximum flagrabat, caritatem, occasio illi oblata est opportunissima. Etenim cum a Clemente VIII Praedecessore Nostro recol. mem. in Germaniam mitterentur delecti viri, qui pro Catholica fide contra haeresum monstra strenue pugnarent, Beatus Laurentius a Brundusio, cuius curae missio illa demandata fuerat, probe sciens quanta in Sodali suo Benedicto, praeter ceteras laudes, singulari cum modestia esset coniuncta doctrina, eum sibi dari comitem voluit, ut opera eius, consilioque in tam diffcili impeditoque ute- retur negotio. Dicto obediens sibique ultro oblatam opportunitatem intelligens Venerabilis Dei famulus Benedictus, sanguinem suum si ita voluisse Deus pro Christi fide effundendi, quamquam aegritudinis assiduae conflictaretur incommodis, pedibus tamen, ut ex instituto solebat, iter totum emensus in Germaniam venit, talemque in Apostolico illo ministerio per triennium obeundo Dominici agri Operarium se praestitit, qualem eum fore anteacta vita pollicebatur. In Italiam redux varios casus aerumnasque invicta animi constantia perpessus, retulit se ad sacrarum concionum studium, laboremque, quem antea nunquam intermisserat. Hoc sane Venerabili Benedicto operum mortalium postremum fuit. Namque Salvatoris Nostri Iesu Christi vestigiis insistens, qui pauperibus evangelizare consuevit, et cum simplicibus sermocinari in deliciis habuit, vicos coepit pagosque peragrare, humillima quaeque oppida, et castella adire, ut rusticani illis ex infima plebe hominibus divini verbi pabulum impertiret. Tanta vero alacritate animi et con-

stantia sacri illius muneris partes explevit , ut neque imbecillitate virium , neque asperitate viarum, neque hospitorum squallore, neque caeli intemperie retardaretur. Inde evenit, ut uberrimam quidem animarum messem referret , ipsum vero anno MDCCXXV in pago, cui vulgo « Sassocorbaro » nomen, concionantem inveterati vis morbi recrudescens opprimeret, et pridie Kalendas Maias extingueret. Mors vero fuit vitae tam integre actae plane consentanea. Namque dissolvi cupiens , et esse cum Christo , verba illa proferens « En tandem in Dei mei amplexum volabo » in Domino placidissime obdormivit, annos natus, plus minus, quinque et sexaginta. Quoniam vero in memoria aeterna erit iustus , corpus quidem conditum sepulchro est , virtutum vero famam consequentes etiam aetates exceperunt. Itaque post eius obitum, conditae Forosempronii de more sunt tabulae de eius vita, atque virtutibus, iisque rite absolutis, Pius VI Praedecessor Noster fel. rec. facultatem fecit anno MDCCXCVI. ut de Heroico earumdem virtutum gradu inquireretur. Tunc , omnibus servatis, quae in huiusmodi causis servanda sunt, in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus , quibus Venerabilis Frater Benedictus ab Urbino inclaruisset ; atque Nos fervidis ad Deum effusis precibus, constare de eiusdem virtutibus in gradu Heroico palam ediximus per decretum IV Nonas Martii evulgatum MDCCCLXII. Deinde in eadem Congregatione institutum iudicium est de miraculis,

quae, Venerabili Dei Servo Benedicto deprecante, a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissime ponderatis, tria miracula vera, et explorata habita sunt. Quo circa, implorata prius a Patre lumen caelesti ope, atque auxilio, de eorumdem veritate miraculorum Decretum edidimus IV Nonas Octobris superioris anni MDCCCLXVI. Quod vero reliquum erat, coacta de more coram Nobis est V Kalendas Decembris proxime elapsi eadem Cardinalium Congregatio, auditisque Consultorum suffragiis, unanimiter censuit tuto posse, quum Nobis visum foret, Venerabili Benedicto ab Urbino Beatorum honores decerni, cum omnibus Indultis, donec solemnis eius Canonizatio celebretur. Nos porro superno lumine servidissimis antea precibus expostulato, de ea re decretum edidimus XVI Kalendas Ianuarias anni item superioris MDCCCLXVI. Quae cum ita sint universi Capuccinorum Ordinis supplicationibus permoti, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio, et assensu, Auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Dei famulus Benedictus ab Urbino ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque Lipsana, seu Reliquiae non tam in solemnibus supplicationibus deferenda, publicae Fidelium venerationi proponantur, et Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis officium, et Missa de Communi Confessorum non Pontificum cum Orationibus propriis per Nos approbatis iuxta Rubricas Missalis, et Breviarii Romani.

Hanc vero officii recitationem Missaeque celebracionem fieri dumtaxat concedimus in Civitatibus, ac Dioecesibus Forosemproniensi, et Urbinatensi, nec non in omnibus Templis, et Religiosis Domibus Ordinis Capuccinorum ab omnibus Christifidelibus, qui Horas Canonicas recitare teneantur die undecima Mensis Maii; et quod ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut anno ab hisce Litteris datis primo, Solemnia Beatificationis Venerabilis Benedicti ab Urbino in Templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis Maioris Ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designanda, et postquam eadem Solamnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV Ianuarii MDCCCLXVII Pontificatus Nostri Anno XXI.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. FEBRVARII  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**D**eus, cuius natura bonitas , cuius voluntas potentia , cuius opus misericordia est (1) semper , velut optime nostis , Venerabiles Fratres , in Ecclesia sua sancta innumerabiles ex omni natione , gradu, ordine et conditione excitavit viros, ac mulieres maximarum virtutum et sanctitatis splendore fulgentes, ut divinae suae gratiae, ac potentiae divitias, et sanctissimae nostrae fidei, religiosque divinitatem luculenter ostendens, homines a mundi illecebris avocaret , eosque ad pietatis , omniumque virtutum exercitium , ac caelestium rerum , et aeternae , beataeque vitae amorem excitaret, et inflammaret. Inter inumeros vero, clarissimosque catholicae Ecclesiae heroes , qui conformes facti imaginis Filii Dei sanctimoniae gloria claruerunt, extitit quoque Beatus Leonardus a Portu Mauricio Apostolicus Missionarius Ordinis S. Francisci strictioris observantiae. Cum autem in hac tanta temporum asperitate , ac tanta contra universam rem catholicam, et hanc Apostolicam Se

(1) S. Leo Serm. 2. in Nativit. Domini.

dem furentium hostium conspiratione et odio vehementer optemus eorum numerum augere , qui validis suis apud Deum precibus divinam suam in omnes misericordiam implorent, et opportuna, ac praesentissima Ecclesiae, Nobis, Vobisque, et universo humano generi impetrent auxilia , iccirco eiusdem Beati Canonizationis causam promovendam censuimus. Itaque ex Praedecessorum Nostrorum more in hodierno Consistorio eiusdem Beati Leonardi vitam, resque ab eo paeclare gestas in hoc amplissimo vestro consessu narrari exoptamus.

*Hic Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de Beato Leonardo a Portu Mauricio. Qua absoluta , sic Sanctitas Sua est prosequuta :*

Vestros ante oculos expositae sunt, Venerabiles Fratres, heroicae plane virtutes, quibus Beatus Leonardus enituit. Ipse enim illustribus Seraphici sui Patris vestigiis insistens, et exempla aemulans, terrestria continenter despexit , ac caelestia unice spectans singulari humilitate, castitate, modestia, morum gravitate , vitaeque innocentia excelluit , nihilque potius habuit, quam mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferre , et summam tolerare et colere paupertatem , et severissimam indesinenter agere poenitentiam , et egenos omni ope iuvare , philosophicis autem , ac theologicis praesertim disciplinis optime excultus , et eximia in Deum , hominesque caritate flagrans , animarumque salutis zelo vehementer incensus, ac propterea summopere cupiens barbaras etiam adire regiones , ut infideles ad christianam fidem, reli-

gionemque convertere , ibique suam pro Christo vitam profundere posset, perpetuum saevissimo humani generis hosti bellum indixit, nullis unquam deterritus laboribus , difficultatibus et periculis. Namque Missionarii munus apostolico prorsus spiritu exercens , ad maiorem Dei gloriam promovendam , sempiternamque hominum salutem currandam unice intentus, et omnibus omnia factus nunquam destitit tum in hac urbe , tum in aliis Italiae civitatibus et regionibus praedicare sapientibus et insipientibus Evangelium regni Dei omnesque exhortari in doctrina sana , ac pascere multiformis gratiae Dei dispensatione. Ex quo evenit, ut innumeros utriusque sexus fideles cuiusque ordinis , status et conditionis misere errantes de vitiorum, ac daemonis captivitate ad salutis semitas revocaverit , eosque vinctos de lacu , et umbra mortis in spem aeternae haereditatis restituerit , et Christo lucifecerit , et quamplurimas animas ad perfectam, cumulatamque virtutem consequendam instituerit. Tanta autem in Deiparam Virginem Mariam exarsit pietate, ut nunquam cessaverit Immaculatam eius Conceptionem asserere, propugnare, et immortales eiusdem Dei Genitricis laudes miro plane affectu concelebrare, omnesque singulari studio etiam atque etiam excitare ad cultum et amorem erga hanc nostrum omnium amantissimam dulcissimamque Matrem , et fidissimam spem , quae in caelis sedens ad dexteram Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi, est maximum decus, et validissimum catholicae Ecclesiae praesidium , ac terror daemonum , et misericordiae sons , er-

rantium perfugium, fluctuantium portus, peccatorum advocata, omniumque potentissima adiutrix. Quae autem gratiarum charismata Deus Beato Leonardo copiose concesserit, et quibus miraculis rite probatis huius fidelis sui Servi sanctitatem illustraverit audistis, Venerabiles Fratres. Itaque videtur ne Vobis, ut eiusdem Beati Canonizationem solemni ritu peragamus?

*Postquam omnes responderunt; Placet: Sanctitas Sua sic loquuta est :*

Vehementer Nos delectarunt vestrae de hac ressententiae. Et quoniam apprime nostis, alia detanti momenti negotio habenda esse consuetis solemnitatibus Consistoria, iecirco illorum diem Vobis significandam curabimus.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. FEBRVARII  
MDCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**C**um caritas Christi Nos urgeret ad exquirendam rationem , qua prospicere possemus viduitati tot Italiae dioecesium ; mense martio anni 1865 epistolam manu Nostra deditus Serenissimo Regi Victorio Emmanueli , eum rogantes , ut aliquem ad Nos delegaret , cum quo de tam gravi negocio agere liceret. Cumque votis nostris ipse obsequutus esset , inita reapse fuere colloquia ; quae tamen , culpa sane non Nostra, caruerunt exitu, Nostrumque frustrata sunt desiderium, qui ad ea descenderamus acti vehementi studio procurandae salutis animarum, quam semper haec Sancta Sedes ceteris omnibus merito praetulit. Resumptum quidem nuper fuit negocium , iis volentibus , qui rerum Italiae potiuntur; verum de hoc themate dicere, Venerabiles Fratres , non sine gravi tristitia et acerbo dolore valemus. Sacri enim Antistites , quos ad vacuas Sedes missuri sumus , non modo censum episcopalis cuiusque mensae distractum invenient, sibique subductum quidquid propriae inopumque sustentationi usui esse consueverat; sed, quod deterius est etiam dispersos sanctuarii lapides , de-

serta perfectionis religiosae confugia, claustrorum habitatores omni substantia orbatos , sacras virgines eductas e foramine petrae, quo se, Deo iuvante, receperant victurae ac moriturae in osculo sponsi caelestis. Grave sane et ingratum est , ad huiusmodi Sedes, in tanta praesertim publicarum rerum angustia, Episcopos destinare. Quid tamen inde ? Recedemus ne iccirco a proposito ? Absit : pergent agricolae ad vineam a Deo plantatam et irrigatam sanguine Filii sui ; eant , ipsam culturi in nomine Iesu Christi , potissimum ab eo opem expectantes; adeant illam Deiparae patrocinio confisi , quae validissime iis suffragari poterit. Nam ipsa dum sapientiae sedes est ad replendos Pastores disciplina intellectus , simul , uti refugium peccatorum, multos ex errantibus ad eos facile reducet; uti afflictorum consolatrix, complurium per ipsos leniet miserorum aerumnas; uti auxilium christianorum, iis obsequium, filialeisque multorum pietatem conciliabit; ut in plerorumque docilitate et affectu levamen inveniant gravissimo muneri suo, et solatum in certamine exercendo adversus hostes Dei et potestates tenebrarum , quae totius agri evangelici potiri conantur, miserandam in eo vastitatem inducturae. Itaque inter novos Pastores aliquot interim renunciabimus, qui ad Italiam pertinent; fore fidentes, ut in futuris Consistoriis alios etiam atque alios renunciare liceat , si tamen iudicia, heu nimis dissimilia, hominum iuxta saeculi placita viventium cum Nostris convenire possint, imprimis quoad personarum electionem. Plura dicere de praesenti rerum conditione non attinet ;

futura vero, nisi mutatio dexteræ Excelsi intercedat, satis aperte praenunciatur ab exacta iam tristissimorum eventuum serie. Nobis tamen confidendum est Deo, qui sicuti, suffragantibus Immaculata Virgine, sanctisque Apostolis, Nos hactenus sub umbra alarum suarum tam perspicue protexit; sic tandem, uti speramus, *convertet luctum nostrum in gaudium*. Optatissimum hunc exitum, Venerabiles Fratres, urgere ac maturare nitamur precibus nostris, animorum concordia, christianarum omnium virtutum exercitio.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVII. MARTII  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**Q**ui infirma mundi eligit Deus, ut fortia confundat, ac de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui, ac disperdit superbos, et exaltat humiles, eosque in sublimi ponit, semper in Ecclesia sua sancta innumeras excitavit feminas, quas induens vestimentis salutis, et iustitiae induimento circumdans virtutum omnium splendore, ac sanctitatis gloria decoravit. Inter innumerabiles cuiusque nationis, aetatis et conditionis mulieres, quae plane despectis omnibus mundi illecebris, Deo unice intentae, et coram eo ambulantes omnibus vitae suae diebus sanctimoniae laude praestiterunt, fuit quoque, uti nostis, Venerabiles Fratres, Beata Germana Cousin Tolosanae Dioecesis in Gallia, quae caelestis gratiae donis cumulata, in ipso aetatis suae flore sancta fuit mente, et corpore. Cum igitur vehementer optemus, ut in hac tanta temporum acerbitate, tantisque christianaee, civilisque reipublicae aerumnis, et calamitatibus illorum augeatur numerus, qui validis suis precibus Deum orent, et obsecrent, ut reminiscens miserationum suarum, quae a saeculo sunt, optatissimum catholicae Ec-

clesiae suae triumphum et pacem concedat, omniumque misere errantium mentes et animos sua gratia illuminet, eosque ad salutis tramitem propitius reducat, ac liberet nos de angustiis nostris, tum eiusdem Beatae Canonizationis causam promovendam existimavimus. Atque ictus in hodierno Consistorio ex Praedecessorum Nostrorum more eiusdem Beatae Germanae Cousin vitam ac res ab ea praecclare gestas ad Nos referri, ac Vobis exponi expetimus.

*Hic Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de Beata Germana Cousin, qua absoluta, Summus Pontifex ita est prosequutus:*

Quanto studio arctam Dei mandatorum viam, quae dicit ad vitam, vel ab ineunte aetate feliciter fuerit ingressa, ac felicissime consummaverit Beata Germana accepistis, Venerabiles Fratres. Ipsa enim obscurlo loco, et pauperibus orta parentibus, ac domesticis afflictata molestiis, et contumeliis, paternisque aedibus expulsa, ac pascendis ovibus addicta, et strumarum morbo vel a primis annis cruciata innocentissimam, ac miserrimam in agrorum solitudine, nemorumque silentio vitam agens, nihil potius habuit, quam unum Deum quererere, eique ex animo adhaerere. Innocentiam igitur, et illibatam virginitatem sanctissime custodiens, ac mira modestia humilitate et obedientia praestans arctissimam paupertatem, severissimamque poenitentiam, et asperrima quaeque pro Deo quam libentissime perferre semper est gloriata. In caelestium autem rerum commen-

tatione assidue defixa nunquam destitit orationi instare, omnia divinae nostrae religionis officia obire, seque Poenitentiae Sacramento expiare, et summo affectu Eucharisticae mensae pabulo reficere , ac sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam tamquam suam matrem venerari , eique innumerarū propedum filialis suae pietatis, et amoris significations exhibere. Singulari in Deum caritate quotidie magis aestuans , ac de Deo , et cum Deo amantissime loquens proximos quoque ex corde dilexit, illosque prout humilis suae fortunae conditio ferebat, studiosissime adiuvare non intermisit in omnibus rebus, quae ad animam corporusque pertinent. Namque pueros sanctissimis divinae nostrae fidei mysteriis, documentisque erudire, eosque ad pietatem, virtutemque formare et pane , quo vescebatur , sibi detracto , pauperum famem relevare solebat. Nihil profecto mirum, si haec Virgo tot illustribus , ac plane heroicis ornata virtutibus, ac tot charismatum a Deo cumulata donis bonum Christi odorem undique diffuderit, et omnium admirationem , ac sanctitatis famam sibi merito comparaverit. Quam fidelis suae servae sanctimoniam Deus multis, ac miris prodigiis probare , et illustrare est dignatus , veluti probe cognoscitis, Venerabiles Fratres. Quae cum ita sint, placet ne Vobis, ut eiusdem Beatae Canonizatiōnem solemni ritu peragamus ?

*Postquam omnes responderunt, Placet, Sanctitas Sua sic est loquuta :*

Maximam certe laetitiam Nobis attulerunt vestrae sententiae. Curi autem cuique vestrum apprime notum sit , alia de tanti momenti negotio habenda esse consuetis solemnitatibus Consistoria, tum illorum diem Vobis nuntiandum curabimus.

## PIVS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**M**artyrum rigata sanguine vel ab ipsis suis primordiis Ecclesia exhibere postea nunquam destitit miranda exempla fortitudinis; quippe dum ad labe-factandam Christi militum firmitatem nova excogitarent Tyranni suppliciorum genera, auxerunt ad sempiternum Ecclesiae decus fortissimorum heroum coronas et palmas. Id porro non sine providentissimo Dei consilio factum est; nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini e caelis adfuisse auctorem Fidei nostrae Christum Iesum, qui, ut scripsit S. Cyprianus Ep. « praeliatores, et assertores » sui nominis in acie confirmavit, erexit; qui pugnauit, et vicit in servis suis ». Iamvero ab anno millesimo sexcentesimo decimo septimo usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum secundum ferax Martyrum Iaponia fuit, excitato dirissimae insectationis turbine adversus Christi religionem, quae feliciter illuc fuerat per Evangelii praecones infecta. Etenim posteaquam Taicosama Iaponiae Imperator inaudito quodam furore exarsit ad extinguendum ibi penitus Christianum nomen, atque anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo viginti sex strenuos verae fidei defensores Crucis suppicio interemisset, eius in Imperio Successores tantam immanitatem, furoremque nedum aemulati sunt, sed longe etiam superarunt. Edita quippe lex fuit, ne

quis Christianos, ac praesertim Sacerdotes iuvaret, exciperet; secus exilio, proscriptione bonorum, atque ipsa poena capitis mulctaretur; Cruces, arae, templa, et quaelibet religionis Sanctissimae monumenta preeconis voce disiecta passim, ac deleta; ad tentandam vero Christianorum in fide constantiam exquisitissima quaeque tormenta adhibita; quae meminisse animus, nedum enarrare reformidat. Aliis enim in Crucem actis transverberatum ferro latus fuit, alii inverso capite Crucis adfixi, plures foedissime dilaniati, ac membratim caesi, plerique lento igne combusti, non pauci sulphureis, vel gelidis demersi aquis mortem obierunt poenarum diuturnitate acerbissimam, alii denique fame, siti, verberibus, et squalore Carceris afficti, enecti mortalem hanc vitam cum immortali, ac beata commutarunt. Tantam vero suppliciorum atrocitatem animo sic erecto, atque alaci perpessi sunt, ut priscorum Ecclesiae Martyrum robur, ac firmitatem plane retulerint.  
« Steterunt scilicet, ut S. Cypriani verbis utamur, torquentibus fortiores, et saevissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit. » Neque Sacerdotes dumtaxat, et evangelicae doctrinae preecones animosi, ac firmi in agone manserunt, sed utriusque sexus, et cuiusque conditionis, aetatis homines, scilicet dynastae spectatissimi, et regio prognati sanguine viri, matronae nobiles, tenerae virgines, confecti aetate senes, adolescentes, et pueri, ac puellae quatuor etiam annorum, sic ut tam inaudita virtus, animique constantia referri prorsus accepta debeat gratiae caelestis auxilio. Mille et amplius recensentur, qui in diuturno illo plurium

annorum certamine Christianam fidem fuso sanguine confirmarunt, sed tamen de omnibus inquire minime potuit auctoritate Apostolica. Etenim saeviente in Christifideles tanto furoris aestu, Matriti solum in Hispania, Maniliae in Insulis Philippinis, et Macai in Sinis inquisitionis tabulae confectae sunt. Nihilominus plerique idonei testes de more rogati ea protulerunt, ex quibus Martyrii veritas biscentum et quinque heroum liquido constet. In hoc gloriose Martyrum agmine plures partim Sacerdotes, partim Laici spectant ad religiosum Ordinem Fratrum Praedicatorum S. Dominici, interqne eos eminent Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci, Franciscus de Morales, Alphonsus de Mena, Dominicus Castellet: non paucos suos esse gloriatur religiosus Ordo Fratrum Minorum Sancti Francisci, quos inter illustiores sunt Petrus ab Assumptione, Petrus de Avila, Richardus a S. Anna, Apollinaris Franco, Franciscus a S. Maria, Antonius a S. Bonaventura; plerosque ad se pertinere gaudet religiosus Ordo Eremitarum S. Augustini, magisque conspicui inter eos sunt Ferdinandus a S. Iosepho, Petrus de Zuniga, Bartholomaeus Gutierrez, Vicentius Carvaglio: tandem suorum etiam Martyrum palmis decorata est Societas Iesu, atque in eis praestant Carolus Spinula, Franciscus Paceco, Camillus Costanzo, Paulus Navarro, Hieronymus de Angelis et Michael Carvaglio. Sequuntur saeculares homines in martyrio socii, Andreas Tocuan, Simon Quiota, et Magdalena eius uxor, Gaspar Cotenda cum Apollonia eius materterta, et Magdalena Kyota, qui ortum ducebant ab stirpe Regum Bungensium, Ari-

mensium, et Firandensium, Antonius Coray, eiusque coniux Maria, Ioannes adolescens annorum duodecim, et Petrus trium annorum puer, illorum filii; Lucia Fleites octogenaria, et Dominicus Giorgi cum uxore Elisabetha Fernandez, et Ignatio filio puerulo annorum quatuor ad martyrii locum a licitoribus perducto, de quo puello illud in actis legitur prodigio simile, quod cum immotus, nullumque eiulatum edens revulsum matris caput conspexisset, perinde ac parenti suae in fidei confessione sociari gestiret, eadem, qua parens, alacritate, circumfusa obstupescente multitudine, cerviculam licitori praecidendam obtulerit. Reliquorum autem martyrum nomina adiectus hisce litteris catalogus exhibebit.

Post pretiosam in conspectu Domini iustorum mortem « quae, ut idem S. Cyprianus scripsit, emit immortalitatem pretio sanguinis, et accepit coronam de consummatione virtutis », statim copta sunt exarari acta ad causae cognitionem necessaria, iisque in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum accurate perpensis, ad preces Hispaniae Regis, et quatuor Ordinum religiosorum, quos supra memoravimus, fel. me. Urbanus VIII Praecessor Noster Litteras manu sua signavit, quibus inquisitio committeretur Apostolica auctoritate instituenda. Proinde tum Maniliae in Insulis Philippinis, tum semel atque iterum Macai in Sinis legitimae inquisitionis confectis tabulis, iisque ad Urbem transmissis, ex concessione Innocentii XI Praecessoris Nostri decimo tertio Kal. Aprilis Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo habita est peculiaris Sacrorum Rituum

Congregatio, in qua statutum fuit, ut primum  
quaestio proponeretur « An constaret de Martyrio  
ex parte Tyranni » eademque agitata quaestio est  
in alio eiusdem peculiaris Congregationis conventu  
octavo Kal. Februarii anni millesimi sexcentesimi  
octogesimi septimi, ac decretum prodiit ab eodem  
Praedecessore Nostro approbatum « Constare, sci-  
licet, de Martyrio ex parte Tyranni in casu de quo  
agitur ». Altera exinde quaestio agitanda supere-  
rat « An constaret de Martyrio ex parte passo-  
rum ». Quae tamen quaestio ratione temporum,  
aliisque rerum adiunctis ad haec usque tempora  
intermissa mansit. Atque id opportune admodum  
dixerimus contigisse, scilicet, ut quum aetate hac  
nostra rei sacrae, et publicae luctuosa a perditis  
hominibus Catholica religio vehementius, ac per-  
fidius oppugnetur, tam insigni proposita Christiano-  
rum heroum de Tyranno victoria, novo tam-  
quam gravique argumento religionis sanctissimae  
probetur divinitas, deque tantae virtutis portento  
iure laetetur, ac triumphet Ecclesia. Deinde fut  
clementissimus Deus regiones illas respiciens per-  
fusas olim innocuo fidelium sanguine, obseptum  
tot annos illuc aditum Evangelii praeconibus re-  
cludat ad miseras gentes salutari doctrina recrean-  
das. Haec nos animo reputantes, ac permoti pre-  
cibus Ordinum praedictorum, et Vicariorum Apo-  
stolicorum regionum Iaponiae finitimarum conces-  
simus, ut huiusmodi causae intermissa cognitio  
rursus institueretur, servataque priori iudicij forma  
peculiarem Congregationem selegimus Cardinalium  
Sacris Ritibus praepositorum, quae causam illam

post accuratam disceptationem ad exitum perduceret. Quapropter proposita duplex quaestio fuit « An stante approbatione Martyrii ex parte Tyranni ita constet de Martyrio ex parte passorum, ut procedi possit ad ulteriora ». Deinde « An et de quibus miraculis, seu signis constet in casu » De utraque hac quaestione diligenter est disputatum, ac tum Cardinales, tum adstantes ex officio Praesules sententiam suam dixerunt: illam tamen confirmare supremo Nostro iudicio distulimus, donec Patrem luminum impense precati essemus, ut in re tanti momenti mentem Nostram lucis suae radiis illustraret. Tandem feria tertia post Dominicam Sexagesimae, in qua memoria recolitur cruciatum, quos pro salute nostra passus est humani generis vindex Christus Dominus, Decretum vulgari iussimus in haec verba: primum « ita constare de Martyrio ex parte passorum, ut in casu, de quo agitur, procedi possit ad Beatificationem »: secundo « constare de signis quarto, decimo secundo, decimo tertio, decimo quarto ». Illud supererat, ut Cardinales Sacris Ritibus praepositi de more interrogarentur, num censerent tuto procedi posse ad Venerabiles Dei famulos Beatorum Ordini ad censendos; qui quum Idibus Aprilis currentis anni apud Nos convenissent, de Consultorum etiam suffragio affirmativam sententiam protulerunt. Nos porro priusquam mentem Nostram pandemus, expectare adhuc voluimus, ad precandum bonorum omnium auctorem Deum, ut Nobis in re gravissima volens propitius adesset; ac denique die sacra S. Catharinae Senensi Patronae secun-

dariae Almae Urbis, palam ediximus « tuto procedi posse ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem.

Nos igitur ad preces quatuor Ordinum Religiosorum, quos supra memoravimus, nec non Vicariorum Apostolicorum, qui Christiano gregi advigilant in regionibus Iaponiae finitimi, de consilio Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalem legitimis Ritibus praepositorum auctoritate Apostolica per has Litteras facultatem facimus, ut Venerabiles Dei famuli Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci Ordinis Praedicatorum; Petrus de Avila, Petrus ab Assumptione, et Riccardus a S. Anna Ordinis Minorum S. Francisci; Petrus de Zuniga, Ferdinandus a S. Iosepho, Bartholomaeus Gutierrez Ordinis Eremitarum S. Augustini; Carolus Spinula, Franciscus Paceco Societatis Iesu; Ioachimus Firayama seu Diaz, Lucia Fleites, aliique in martyrio Socii, tam religiosi Fratres ex memoratis Ordinibus, quam etiam Saeculares, Beati nomine in posterum appellantur, eorumque corpora, et lipsana, seu reliquiae, solemnibus supplicationibus exceptis, publicae fidelium venerationi proponantur. Insuper eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur quotannis die indicenda Officium, et Missa de communi plurimorum Martyrum, iuxta rubricas Missalis, et Breviarii Romani. Eiusdem vero Officii recitationem fieri concedimus in domibus, ac templis quatuor Religiosorum Ordinum supradictorum ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui horas Canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet etiam sacerdotibus,

qui rem divinam facient in sacris templis , in quibus Beatorum festum celebretur. Denique concedimus , ut anno ab hisce Litteris datis primo solemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famulorum in Ecclesiis dictorum Ordinum peragantur cum Officio , et Missis duplicis maioris ritus , idque fieri mandamus die ab Ordinariis Sacris Praesidibus indicendo, et posteaquam eadem solemnia in Vaticana Nostra Basilica fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non decretis de non cultu editis , ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis , dummodo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta, et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi , hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Maii Anno MDCCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## ALLOCVTIO

**HABITA IN CONSISTORIO SEMIPVBLICO DIE XII IVNII  
MDCCCLXVII.**

**VENERABILES FRATRES**

**C**atholica Ecclesia, quae viris sanctimonia .insignibus, et rerum gestarum gloria praeclaris semper effulsit, habet etiam hisce calamitosis temporibus, quorum glorietur triumphis et virtutibus, ac exemplis sanctissimis illustretur. Scitis enim, Venerabiles Fratres, quantam sibi forti fidei confessione, et eximia vitae sanctitate gloriam vindicent Beati Viri Iosaphatus Archiepiscopus Polocensis Rutenorū Ritus Orientalis ex ordine S. Basillii Magni, Petrus Arbuesius Canonicus Regularis Metropolitani Templi Caesaraugustani, nec non Nicolaus Pichius, eiusque duo deviginti Socii ex utroque clero , ac diversis Religiosis Familiis , qui omnes a catholicae religionis hostibus varie vexati , vitam pro Christo inter saevos cruciatus fortiter dederunt. Hi sunt nimirum ex Viris fortibus , qui amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt Eum in morte sua et nobilissimum sane exemplum omnibus Christianis reliquerunt , quod fideliter persequi omni studio et imitari contendant. Multum itaque interesse arbitramur, Venerabiles Fratres, et ad divinae gloriae incrementum, et ad fidelium utilitatem, ut

Beatorum horum **Martyrum Nomina Sanctorum** Caelitum ordinibus auctoritate Nostra Apostolica accenseantur. Sed in hac gravissimi sane momenti deliberatione haud possumus, quin ex instituto Praedecessorum Nostrorum in hoc amplissimo Vestro Consessu etiam a Vobis, qui Illorum illustre martyrium, eximias virtutes, ac prodigia tum ex historia vitae, tum ex iis, quae in publico Consistorio audivistis, probe nostis vestram sententiam de hac ipsa re perquiramus. Igitur dum divini Luminis opem a Domino humillime imploramus vestra hodie suffragia libentissimo quidem animo excipimus, quo de ipsis Beatis Sanctorum Ordini adscribendis supremum Nostrum iudicium profaramus.

Magnam plane consolationem aceipimus, Venerabiles Fratres, cum videamus unanimes omnium vestrum sententias cum animi Nostri sensu convenire, et intelligamus, ex hac Beatorum **Martyrum** Canonizatione novum ornamentum et decus, novumque praesidium catholicae Ecclesiae comparari. Nostra igitur, ac vestra vota explere cupientes, in proximo Consistorio, cum de aliis Beatis in Sanctorum Ordinem cooptandis deliberatum fuerit, faustissimum indicemus diem, quo haec sacra solemnia peragantur. Interea vero ne desinatis, Venerabiles Fratres, precibus, et aliis piis operibus sedulo Dei Optimi Maximi lumen et auxilium Nobis implorare, ut in re tam gravi illud agamus, quo divinae Maiestatis voluntatem, et beneplacitum cumulate perfecisse laetemur.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SEMIPVBLICO DIE XIV IUNII  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**P**raeclare admodum , Venerabiles Fratres , cum catholica Ecclesia , et civili societate hisce prae-  
sertim temporibus agi existimamus, ut dum gra-  
vissimum contra sanctissimam nostram religionem  
bellum geritur, et abundante iniuitate caritas multo-  
rum refrigescit, fidelibus populis illustria Christi  
Martyrum, et Confessorum, et Virginum imitanda  
proponantur exempla. Vidimus enim iam in Mar-  
tyribus eam propositam fortitudinem, quae ad ardua  
quaeque vel ferenda , vel agenda pro divina lege  
servanda christianos homines debet impellere. Nunc  
autem ipsis ponuntur ante oculos praeclarissimi  
duo Confessores Beatus Paulus a Cruce Fundator  
Congregationis Clericorum a Passione Domini No-  
stri Iesu Christi, Beatus Leonardus a Portu Mau-  
ritio ex ordine Franciscalium Reformatorum, nec  
non Beatae Virgines Maria Francisca a Vulneribus  
Iesu Christi Ordinis Tertii Minorum Sancti Petri  
de Alcantara, et Germana Cousinia, quorum omnium  
vita ad perfectam omnis Christianae virtutis nor-  
main fidelibus effulget, nec segnes esse animos ad  
imitandum sinit. Vos enim minime latet, Venera-

biles Fratres, ex iis, quae iam in Consistorio publico de istorum Beatorum virtutibus et prodigiis audivistis , et ex fidei alia narratione , quam ad Vos transmitti iussimus, quantopere hi duo Confessores unice Regnum Dei, et iustitiam eius quaerentes, et Iesu Christi amore flagraverint, et animabus Ei lucrantis perpetuo adlaboraverint. Nec porro ignoratis quo ardore sanctitatis semitas institerint Beatae illae Virgines, ut earum vita abscondita cum Christo in Deo Angelorum potius quam hominum esse videretur. Nunc vero quo tam eximiae virtutes illustriori in fastigio positae conspiciantur ab omnibus , et prosint omnibus , par est, ut in hoc amplissimo vestro consessu de Sanctorum Caelitum honore Beatis hisce deferendo deliberemus. Nos itaque Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes dum Supremum Patrem lumen obsecramus, ut sua Nobis luce adsit a Vobis etiam exposcimus , uti vestras quoque sententias in re tam gravi , magnique momenti in medium conferatis.

*Omnibus auditis sententiis, Sanctitas Sua hisce verbis Allocutionem absolvit.*

Vestrum consensum et vestra studia, Venerabiles Fratres, eo spectare intelligimus, ut Beatos, de quibus agimus , Viros , et Beatas Virgines in album Sanctorum Caelitum auctoritate Nostra Apostolica referamus. Id plane votis Nostris respondeat, Nobisque maximo gaudio est. Et quoniam in praecedenti Consistorio id ipsum summa consensione efflagitastis de uno et viginti invictis Martyribus, de quibus agebatur, siccirco rem suprema

Nostra auctoritate propediem perficere festinabimus. Nobis igitur in animo est die vicesimo nono huius mensis, quo saecularia solemnia Beatissimi Petri Apostolorum Principis et coapostoli eius Pauli triumphis sacra solemnissimo ritu celebraturi sumus, Pontificium Nostrum proferre decretum, quo Beatos Martyres Iosaphat Archiepiscopum Polocensem Ruthenorum, Petrum Arbuesium, Nicolaum Pichium, eiusque duodeviginti Socios, ac Beatos Paulum a Cruce, Leonardum a Portu Mauritio, et Beatas Virgines Mariam Franciscam a vulneribus Christi Iesu, et Germanam Cousin Sanctorum Ordini adscribemus. Interea Omnipotenti Deo, Ecclesiae suae sanctae Moderatori et Conservatori preces et obsecrations ab omnibus enixius adhibeantur, ut huiusmodi gravissimi momenti rem caelesti suo lumine dirigat, utque ad sui Nominis gloriam, et Ecclesiae suae utilitatem nostra in hac re consilia, ac studia omnia proficiant.

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

OMNIBVS CATHOLICAE ECCLESIAE PATRIARCHIS ,  
 ARCHIEPISCOPIS , ET EPISCOPIS VSVS PILEOLI VIOЛАCEI  
 COLORIS CONCEDITVR.

PIVS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**E**cclesarum omnium curam et sollicitudinem ex Supremo Apostolatus officio Divina Providentia Nobis commisso gerentes , maximo quidem solatio perfundimur, cum ad sacrum Episcopalem Ordinem oculos Nostros mentemque convertimus. Sacri enim per Orbem Antistites pastoralis muneris Nostri consortes in tanta temporum difficultate, atque in tot malorum procellis , quibus Ecclesia iactatur , omnem adhibent alacritaten , ac studium in custodiendo vigilias noctis super gregem suum, in Ecclesiae iuribus adserendis, atque in Christiana sibi concredita plebe divinae legis praeceptionibus erudienda, ut hoc scilicet instructa munimine facilius a malo declinet , atque ambulet in viis Domini. Ipsi propterea nullum discrimin detrectantes opponunt murum pro Domo Israel , interque ipsos non pauci persecutionem passi propter iustitiam ,

illustria suae fidei, et fortitudinis exempla ediderunt. Quo autem obsequio, quo devotionis studio iidem Venerabiles Fratres prosequantur Beatissimi Petri Cathedram , in qua integra est Christianae religionis, ac perfecta soliditas, et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, innumerae amoris, ac pietatis significationes etiam typis consignatae, et numquam intermissae pro ipsius incolumitate, et exaltatione in suis dioecesibus preces , excitatique fideles ad rerum angustias quibus premimur, data stipe recreandas, denique singularis eorum in Urbe Nostra frequentia luculentissime testantur. Quare in communi omnium ordinum laetitia ob saecularem memoriam martyrii Sanctorum Apostolorum Petri , et Pauli solemniter celebrandam, et ob nonnullos Ecclesiae Heroes Sanctorum caelitum fastis adscribendos, gratum Nobis est eosdem Venerabiles Fratres in pastorali Nostro exercendo munere socios, atque adiutores debito exornare laudis paeconio , eisdemque per aliquam honoris adiectionem propensi animi Nostri, ac dilectionis exhibere testimonium. Itaque auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi omnibus, et singulis Catholicae Ecclesiae Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis tam praesentibus, quam futuris concedimus, atque indulgemus , ut ipsi in posterum a primis tamen vesperis proxime futuri festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli pileolo violacei coloris uti libere ac licite possint, et valeant. Non obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque quamvis speciali, et individua mentione,

ac derogatione dignis in contrarium facientibus qui-  
buscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pi-  
scatoris die XVII Iunii MDCCCLXVII. Pontificatus  
Nostri Anno vicesimo secundo.

**N. CARD. PARACCIANI CLARELLI**

## PIVS PP. IX.

AD FUTVRAM REI MEMORIAM

Faustissimo illucescente die , quo ante annos MDCCC Beatissimi Apostoli Petrus , et Paulus vitam pro Christo fuderunt, suoque sanguine Romam consecrarunt, auspicatissimi huius diei laetitiam augendam existimavimus nonnullis Christianae religionis heroibus Sanctorum Caelitum honores decernendo. Qua in celebritate recreamur magnopere desideratissima tot Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum corona, qui studiosissimam voluntatem erga humilitatis Nostrae personam praeseferentes votis Nostris cumulatissime responderunt. Horum enim quamplurimi quum per dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Praefectum Consilii Tridentinae Synodi decretis interpretandis accepissent, ipsos gratissimum Nobis facturos si nulla peculiari distenti ratione, et absque ovium sibi commissarum detrimento se se in Urbem ad memorata solemnia celebranda conferrent, reverentia ac pietate erga Beatissimum Petrum ducti, neque viarum longitudine, neque navigationum periculis, neque temporum difficultate deterriti alacres libentesque ad Sacra Apostolorum limina iter susceperunt. Cuius eximiae pietatis exemplum publice hisce Litteris commendatum volumus, et Beatissimos Apostolos Petrum, et Paulum enixe rogamus, ut tanta religionis, tantaeque fortitudinis viris in praeliandis praeliis Domini animum au-

geant, viresque confirmant. Quo autem solemni hac occasione aliquod extet erga eosdem Venerabiles Fratres propensae voluntatis Nostrae testimonium in id consilii venimus, ut ipsos aliquo Pontificiae largitatis munere honestemus. Itaque omnes, et singulos Sacros Antistites, qui proximo die festo Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli in Urbe versentur, quique inter Antistites Pontificio Solio adstantes minime relati sint, in eorumdem numerum vi praesentium Litterarum referimus, et cooptamus, eisque omnia et singula privilegia, facultates, honores concedimus, quae ex Apostolicae Sedis benignitate ad illos pertinent, qui hoc honore, ac munere decorati sint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII Junii MDCCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno vigesimosecundo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## PIVS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**A**lmae Urbis Nostrae fideles magna, et illustria beneficia , quae per Beatum Petrum Apostolorum Principem postquam heic suam cathedram , Deo sic volente, constituit, sunt consecuti, perpendentes, nunquam grati animi significationes suo Parenti ac Magistro exhibere destiterunt. Porro novum huiusmodi memoris animi, et devotionis argumentum eidem Apostolorum Principi nuper exhibitum fuit a Societate Fidelium , quae ad honestandum , augendumque cultum erga sacra vincula, quibus Sanctus Petrus ob Christi fidem Romae, et Hierosolymis fuit constrictus in piam Confraternitatem canonice coaluit apud Ecclesiam in Exquiliis, ubi sacra Beati Petri vincula religiosissime asservantur, eundemque titulum sibi est mutuata. Nos pro Nostri ministerii Apostolici ratione , ut nova Confraternitas maiora in dies susciperet incrementa, caelestibus thesauris ditandam censuimus similibus Nostris Litteris datis sub die XIV aprilis MDCCCLXVI. Iamvero cum plurimi utriusque sexus Christifideles dictae Confraternitati nomen dederint, aliaeque Sodalitates sub eodem titulo , institutoque in diversis dioecesibus canonice erectae supernorum munerum, quibus illa gaudet participes fieri cupiant; ac Moderatores, et Confratres Nobis exposuerint, in ipsorum spiritualem consolationem , et eiusdem Confraternitatis

decus cedere , si Archiconfraternitatis titulo eam  
insignire cum solitis privilegiis de benignitate Apo-  
stolica dignaremur ; Nos eiusdem Confraternitatis  
splendori , et augmento paternis studiis consulere  
intenti, ipsosque Exponentes specialibus gratiis, et  
favoribus prosequi volentes , et eorum singulares  
personas a quibusvis excommunicationis , suspen-  
sionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis senten-  
tiis, censuris, et poenis quovis modo, vel quavis  
de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tan-  
tum rei gratia absolventes, et absolutas fore cen-  
sentes , huiusmodi supplicationibus ultiro obsecun-  
dantes , Confraternitatem praedictam in Archicon-  
fraternitatem cum omnibus, et singulis privilegiis,  
et indultis solitis, et consuetis perpetuo erigimus,  
et instituimus. Archiconfraternitatis vero sic ere-  
ctae Moderatoribus , et Confratribus praesentibus ,  
et futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates  
eiusdem tituli, et Instituti extra hanc Almam Ur-  
bem Nostram ubicumque locorum existentes eidem  
Archiconfraternitati , servata tamen forma Consti-  
tutionis fel. rec. Clementis PP. VIII Praedecessoris  
Nostrи desuper editae, aggregare, illisque omnes, et  
singulas Indulgentias tum plenarias, tum partiales,  
aliasque communicabiles gratias communicare pos-  
sint, et valeant auctoritate Nostra Apostolica con-  
cedimus, et indulgemus. Decernentes easdem prae-  
sentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces  
existere , ac fore , suosque plenarios , et integros  
effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spe-  
ctant, et pro tempore quandocumque spectabunt in  
omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab

eis respective inviolabiliter observari ; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios , et delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere , ac irritum , et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII Iunii MDCCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno XXI.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

## ALLOCVTIO

HABITA IN XYSTINO SACELLO DIE XXV. IVNII MDCCCLXVII.

DILECTI FILII

**I**ucundissima quidem Nobis est maxima et mira vestra frequentia, Dilecti Filii, qui sanctissimo sacerdotio ornati vestrorum Antistitum vestigia sectantes ad Nos , et ad hanc Romanam Beatissimi Petri Apostolorum Principis Sedem hoc auspiciatissimo tempore tanta alacritate convolastis, Evidem haec eximia vestra erga Nos , et eamdem Sedem pietas , devotio , et observantia summam Nobis affert consolationem inter gravissimas, quibus affligimur, acerbitates. Itaque nihil Nobis gratus, quam intimo paterni Nostri cordis affectu Vos alloqui, qui in Dei exercituum in litiam cooptati, et in sortem Domini vocati ipsum Dominum elegistis tamquam partem hereditatis vestræ. Vos igit estis, quos Deus singulari beneficio in Ecclesia sua ad excelsam Sacerdotalem dignitatem evexit , et separavit ab omni populo , sibique iunxit , ut serviatis Domino , et stetis coram frequentia populi, ac ministretis ei, et Deo orationes, obsecrations, et hostiam puram, sanctam, immaculatam pro vestrâ, ac totius mundi salute offeratis. Hinc per vos ipsi probe noscitis, nihil Vobis potius esse posse , quam morum gravitate , vitae innocentia,

integritate, castitate, omniumque virtutum ornatu, ac sacrarum praesertim disciplinarum scientia quotidie magis fulgere, ut cum humani generis hostibus strenue pugnare, et maiorem Dei gloriam, animarumque salutem procurare valeatis. Videte ministerium, quod accepistis in Domino, ut illud impleatis (1) in hae potissimum tanta temporum asperitate, ac tanta inimicorum hominum contra divinam nostram religionem conspiratione, et errorum colluvie. Quocirca, Dilecti Filii, arctissimo inter vos caritatis vinculo coniuncti, et illustria vestrorum Antistitum exempla aemulantes, sub eorum ductu labore veluti boni milites Christi Iesu. Ab hac igitur urbe in vestras Dioeceses reversi omnes sacri vestri ministerii partes diligenter, ac sancte implere contendite, et fidelibus curae vestrae praesertim commissis catholicam unitatem, et doctrinam, ac debitam huic Petri Cathedrae omnia Eclesiarum matri, et magistræ eiusque documentis obedientiam, reverentiamque inculcate, ne circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Vos, ut divini verbi interpretes, evangelizetis oportet, et quidem continent Evangelium Dei sapientibus, et insipientibus, neque iam in sublimitate sermonis, sed in doctrina spiritus praedicate Iesum Christum, et hunc crucifixum, ac nunquam desinite errantes ad salutis tramitem revocare, omnesque exhortari in doctrina sana. Cum autem sitis dispensatores mysteriorum, ac multiformis gratiae Dei,

(1) Coloss. 4 v. 17.

omni sacrorum ope procurate christianam plebem  
**Vobis** concreditam , et maxime aegrotos, ne quid  
eis auxilii unquam desit, quo facilius ipsi cum  
morte iam colluctantes, daemoris insidias retegant,  
eiusque tela devitent. Dum haec agitis , nolite com-  
mittere , ut non detis lac parvulis potum , quin  
immo nihil magis **Vobis** cordi sit quam omni cura  
rudimenta fidei, morumque disciplinam patienter  
admodum puerulos docere, eosque ad pietatem o-  
mnemque virtutem formare. Summo autem studio  
auxiliariam vestram operam vestris Antistitibus na-  
vantes, eisque illa, qua par est, reverentia obse-  
quentes, omnia peragenda curate, ut quod in pro-  
pria cuiusque vestrum Dioecesi infirnum sit, sa-  
netur, quod conftractum alligetur , quod abiectum  
reducatur, quod perierit quaeratur (1), ut Deus in  
omnibus honorificetur per Iesum Christum Domi-  
num nostrum (2). Intentis vero animis cogitate im-  
marcescibilem illam gloriam , quam dabit vobis  
Dominus iustus iudex si inconfusibiles vos operarios  
invenerit in magna illa die inquis amara valde,  
sed iustis laeta , immo iucundissima. Haec cogitatio  
in proprii vestri ministerii partibus recte implendis  
vos foveat, in perferendis laboribus vos sublevet,  
in exequendis Dei, eiusque sanctae Ecclesiae man-  
datis vos confirmet. Ne desinatis ferventissimas  
Deo offerre preces pro Ecclesiae suae triumpho, ac  
pace, et omnium hominum salute, Eumque sem-  
per exorate, ut divina sua gratia vestros secundet

(1) Ezechiel c. 54. v. 5.

(2) Epist. I. Petri c. 4. v. 2.

labores ad maiorem sancti sui nominis gloriam ubique procurandam. Et quo facilius Deus vestris annuat votis, deprecatores apud Ipsum adhibete primum quidem Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, cuius et tutela tam potens, et materna in nos voluntas, ac deinde Beatissimos praesertim Apostolos Petrum et Paulum, et Caelites omnes, qui Christi vestigia sequuti triumphales iam meruerunt coronas, ac vota, precesque nostras pronis semper auribus excipiunt, nobisque ultro etiam suffragantur, ut eiusdem gloriae consortes aliquando reperiamur. Denique, Dilecti Filii, caelestium omnium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis, et fidelibus vestrae vigilantiae commissis peramanter impertimur. Insuper veniam perlibenter tribuimus, ut die a proprio cuiusque vestrum Episcopo designanda, qui cumque ex vestris regionibus profecti hic adestis, Apostolicam Benedictionem cum applicatione Plenariae Indulgentiae fidelibus spirituali vestrae curae concreditis semel impertire possitis, dummodo fideles ipsi Sacramentali Confessione expiati, et Sacra Synaxi refecti pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac triumpho ferventes ad Deum preces effuderint.

## MONITUM

Apostolica Benedictio, de qua supra mentio est, danda erit in forma Ecclesiae consueta, et ab iis

tantummodo dari poterit, qui aut Parochi sunt,  
aut Parochorum auxiliares, aut Religiosarum Do-  
mum, aliorumve Piorum Locorum, aut Institu-  
torum christianaे iuventuti educandae, aut hospi-  
taliū, aut carcerum poenaliū moderatores.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO PVBLICO DIE XXVI IVNII  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**S**ingulari quidem inter maximas Nostras acerbitates gaudio et consolatione afficimur, cum iterum gratissimo conspectu ac frequentia vestra perfrui, vosque coram alloqui in hoc amplissimo conventu possimus, Venerabiles Fratres. Vos enim ex omnibus terrarum regionibus desiderii Nostri significacione et vestrae pietatis instinctu in hanc Urbem adducti, Vos eximia religione praestantes, in sollicitudinis Nostrae partem vocati nihil potius habetis, quam calamitosis hisce temporibus omnem in re catholica tuenda animarumque salute curanda vestram opem Nobis ferre, multiplices moerores Nostros lenire, ac ampliora in dies vestrae fidei voluntatis et obsequii, erga hanc Petri Cathedram experimenta praebere. Hoc vestro adspectu recreamur vehementer, hoc novo pietatis et amoris vestri argumento ac testimonio de illis libenter recordamur, quae usque ad hanc diem concordibus animis, non uno studiorum genere, non intermissis curis, non deterriti adversis certatim edidistis. Quae porro rerum suavissimarum memoria alte Nobis in animo infixa, semperque mansura, illud efficit,

ut gratus Nostrae caritatis sensus , multo nunc quam alias ardenter atque vividior, erga universum vestrum ordinem perspicua testificatione et luculentioribus signis, palam publiceque gestiat erumpere.

Sed si haec leviter raptimque perstricta superiorum temporum recordatio Nos adeo percellit atque solatur, Vos ipsos, Venerabiles Fratres, facile intellecturos arbitramur qua laetitia exultet , qua caritate flagret hodie cor Nostrum, dum iterum observantia et frequentia vestra perfruimur, qui ex remotioribus etiam catholicis provinciis Nostro desiderio perspecto, una omnes pietate et amore acti ad Nos convenistis. Nihil enim Nobis optatius , nihil iucundius esse potest quam vestro in coetus versari, vestracque Nobiscum coniunctionis fructum capere , in iis potissimum sollemnibus peragendis in quibus omnia, quae versantur ante oculos, de Catholicæ Ecclesiae unitate, de immobili unitatis fundamento, de praeclarò eius tuendae servanda- que studio , ac gloria loquuntur. De illa scilicet admirabili unitate loquuntur, qua, veluti quadam vena , Divini Spiritus charismata et dona in mysticum Christi corpus manant, ac in singulis eius membris tanta illa fidei et caritatis exempla excitant, quae universum hominum genus in admirationem impellunt. Agitur enim, Venerabiles Fratres , hoc tempore ut Sanctorum honores decernantur tot inclitis Ecclesiae Heroibus, quorum plerique gloriosum martyrii certamen certantes, alii pro tuendo Apostolicae Cathedrae, in qua Catholicæ veritatis et unitatis est centrum, principatu, alii pro integritate ac unitate fidei vindicanda, alii pro

restituendis Catholicae Ecclesiae hominibus schismate avulsis pretiosam mortem libenter oppetierunt, adeo ut mirum divinae Providentiae consilium satis eluceat, quae tum maxime exempla adserenda catholicae unitatis, et triumphos Adsertorum proposuit, cum Catholica fides et Apostolicae Sedis auctoritas infestioribus inimicorum artibus conflictaretur. Agitur præterea ut memoriam diei auspicatissimi sollemni ritu recolamus, quo die Beatus simus Petrus et Coapostolus eius Paullus ante annos mille octingentos illustri martyrio in hac urbe perfuncti, immobilem catholicae unitatis arcem suo sanguine consecrarunt. Quid igitur, Venerabiles Fratres, Nobis optabilius et tantorum Martyrum triumphis congruentius esse poterat, quam ut in eorum honoribus pulcherrima catholicae Ecclesiae unitatis exempla ac spectacula, maiore qua possent significatione et luce fulgerent? Quid aequius erat, quam ut haec ipsa de Apostolorum Principum triumphis gratulatio, quae ad totius catholici nominis religionem pertinet, vestro etiam adventu studioque celebraretur? Quid dignius demum, quam ut tot tantarumque rerum splendor pietatis laetitiaeque vestrae accessione fieret illustrior?

At non solum apta rebus et grata Nobis, Venerabiles Fratres, haec pietas, et concors cum Apostolica Sede coniunctio, sed præterea tanti momenti est, ut maximi ex ea ac salutares admodum fructus sive ad comprehendendam impiorum audaciam, sive ad communem fidelium et vestram singulorum utilitatem, omnino debeant existere. Ex hac nimirum religionis oppugnatores intelli-

gant necesse est, quam vigeat, qua vita polleat Catholica Ecclesia, quam infensis animis insectari non desinunt: discent quam inepto stultoque convicio eam veluti exhaustam viribus et suis defunctam temporibus incusarint: discent demum quam male suis triumphis plaudant, ac suis consiliis et conatibus fidant, satis perspicientes tantam virium compagem convelli non posse, quam Iesu Christi spiritus et divina virtus in Apostolicae confessio-  
nis petra coagmentavit. Profecto si unquam alias hoc maxime tempore, Venerabiles Fratres, omnibus hominibus pateat necesse est, ibi solum animos arctissima inter se coniunctione contineri posse, ubi unus idemque Dei spiritus omnibus dominatur, at Deo relicto, Ecclesiae auctoritate contempta, homines felicitatis eius, quam per scelera quaerunt, expertes, in turbulentissimis tempestatibus misere, dissidiisque iactari.

Sed si fidelium communis spectetur utilitas, quidnam, Venerabiles Fratres, opportunius ac salutarius ad incrementum obsequii erga Nos et Apostolicam Cathedram Catholicis gentibus esse potest, quam si videant quanti a Pastoribus suis catholicae unitatis iura et sanctitas fiat, eamque ob causam cernant eos magna terrarum spatia marisque transmittere, nec ullis deterrei incommodis, quominus ad Romanam Cathedram advolent, ut in Nostrae humilitatis persona Petri Successorem et Christi in terris Vicarium revereantur? Hac nempe auctoritate exempli longe melius quam subtiliori qualibet doctrina agnoscent, qua veneratione, obedientia et obsequio erga Nos uti debeant; Qui-

bus in persona Petri a Christo Domino dictum est « pasce agnos meos, pasce oves meas » iisque verbis suprema sollicitudo ac potestas in universam Ecclesiam credita est atque commissa.

Quin etiam Vos ipsi, Venerabiles Fratres, Vos in sacro vestro ministerio obeundo, ex hac erga Apostolicam Sedem observantia insignem fructum laturi estis. Quo enim maiora vos necessitudinis fidei amorisque vincula cum angulari petra mystici aedificii devinxerint, eo magis etiam, ut omnium Ecclesiae temporum memoria docet, eam fortitudinem induemini ac robur, quod ab amplitudine ministerii vestri contra hostiles impetus, et adversitates rerum postulatur. Quid enim aliud Christus Dominus intelligi voluit cum Petrum tuendae fratrum firmitati praeficiens « Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (1) ? Nimirum, ut S. Leo M. innuit « specialis cura Petri a Domino suscipitur et pro fide Petri proprie suppliatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis ceteris conferatur » (2). Quapropter Nos semper persuasum habuimus fieri non posse ut eius fortitudinis qua praecipuo Domini munere cumulatus est Petrus, non aliqua semper in vobis fieret accessio, quo-

(1) Luc. c. 22. v. 32.

(2) Ser. 3. in anniv. Ass. suae.

ties prope ipsam Petri personam, qui suis in successoribus vivit, praesentes consisteretis, ac tantummodo solum attingeretis huius urbis, quam sacri Apostolorum Principis sudores et triumphalis sanguis irrigavit. Immo etiam, Venerabiles Fratres, nunquam Nos dubitavimus quin ex ipso sepulcro, ubi beatissimi Petri cineres ad religionem orbis sempiternam quiescunt, quaedam arcana vis et salutaris virtus existat, quae Pastoribus Dominici gregis fortis ausus, ingentes spiritus, magnanimos sensus inspiret, quaeque instaurato eorum robore efficit, ut impudens hostium audacia, catholicae unitatis virtuti et potestati impar, impari etiam certamine residat et corruat.

Nam quid Nos tandem dissimulemus, Venerabiles Fratres? Iamdiu in acie contra callidos et infestos hostes pro iustitiae et religionis defensione versamur. Tam diurna tam ingens dimicatio geritur, ut omnium quotquot in sacra militia censemur simul coniunctae vires, non iusto maiores numero ad resistendum esse videantur. Nos quidem Ecclesiae causam libertatem et iura pro supremi muneris Nostri ratione propugnantes, usque ad hanc diem Dei Omnipotentis ope ab exitialibus periculis incolumes fuimus, sed tamen rapimur et iactamur adhuc adversis ventis et fluctibus non quidem timentes naufragium quod Christi Domini praesens auxilium timere non sinit, sed intimo sane dolore affecti ob tot novarum doctrinarum monstra, tot impie in Ecclesiam ipsam et Apostolicam Sedem commissa, quae quidem iam alias damnata ac re-

probata (1), palam nunc iterum pro sacri Nostri munieris officio reprobamus et condemnamus. In hac tamen praesentis temporis ratione, et in ea quam capimus ex conspectu vestro laetitia, ulti commemorare praetermittimus tot sollicitudines, curas angores qui cor Nostrum gravi ac diuturno vulnere excruciant ac torquent. Haec potius omnia apud altaria afferemus quae Nostris assidue oneravimus precibus, respersimus lacrimis; haec omnia clementissimo misericordiarum Patri instauratis obsecrationibus aperiemus iterum ac revelabimus, in Eo omnino fidentes qui Ecclesiae suae incoluntatem et gloriam tueri novit et potest, quique iudicium faciens omnibus iniuriam patientibus de causa Nostra et adversantium Nobis non fallente die, iusto iudicio iudicabit.

Interim vero vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra sapientia recte intelligitis, quam vehementer intersit ad occurrentum impiorum consiliis et tot detimenta Ecclesiae sarcienda, ut quae vestrum omnium cum Nobis et Apostolica hac Sede concordia tantopere enitet, altius in dies defixis radicibus roboretur. Quin immo, hic catholicae coniunctionis amor, qui ubi semel inhaesit animis, ad aliorum etiam utilitatem late dimanat, hic profecto vos conquiescere non sinet, nisi pariter in eadem catholica concordia ac indivulsa fidei, spei caritatisque consensione ecclesiasticos omnes viros quorum Duces estis, et universos fideles vobis creditos una opera praestare connitamini. Nullum

(1) Alloc. Consist. 29. Oct. 1866.

sane spectaculum angelorum atque hominum oculis pulchrius esse poterit, quam si in hac peregrinatione nostra, qua ab exilio ad patriam pergimus, aemula imago referatur et ordo peregrinationis illius, qua duodecim israeliticae tribus ad felices promissionis oras coniunctis itineribus contendebant. Ingrediebantur enim omnes, singulae suis discretae auctoribus, distinctae nominibus, dirempatae locis, parebantque suis quaeque familia patribus, bellatorum manus ducibus, hominum multitudo principibus; sed tamen unus erat tot ex gentibus populus, qui eidem Deo et ad eamdem supplicabat aram, unus qui iisdem legibus, eidem Sacerdoti Maximo Aaroni, eidem Dei Legato obtemperabat Mosi, unus qui pari iure in bellorum laboribus et victiarum fructibus utebatur, unus demum qui pariter sub tentoriis agens, et admirabili vescens cibo, eamdem concordibus votis aspirabat ad metam.

Huiusmodi vos coniunctioni perpetuo retinendae operam datus, tot iam pignoribus vestrae fidei concordiaeque acceptis, certum omnino ac exploratum habemus. Spondet id Nobis spectata vestra integritas, ac praestans virtus, quae semper ubique sui similis, et omni periculo maior effusit: spondet illud ingens studium et ardor qui vos ad aeternam hominum salutem curandam<sup>2</sup>, et ad divinam amplificandam gloriam rapit atque urget: spondet id demum ac certissime spondet sublimis illa oratio, quam Christus ipse ante extremos cruciatus suos ad Patrem obtulit, Illum precatus, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in Te, ut et

ipso in Nobis unum sint (1); cui precationi fieri nunquam potest, ut divinus non adnuat Pater.

Nobis autem, Venerabiles Fratres, nihil optabilius est quam ut cum fructum quem maxime salutarem ac faustum Ecclesiae universae fore dicimus, ex hac eadem vestra cum Apostolica Sede coniunctione capiamus. Iamdiu enim animo agitavimus, quod pluribus etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum pro rerum adiunctis impotuit, ac illud etiam, ubi primaria optata Nobis opportunitas aedrit, efficere aliquando posse confidimus, nempe ut sacrum oecumenicum et generale omnium Episcoporum catholici Orbis habeamus Concilium, quo collatis consiliis coniunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia, tot praesertim malis quibus Ecclesia premitar, Deo adiuvante adhibeantur. Ex hoc profecto, uti maximam spem habemus, eveniet, ut catholicae veritatis lux errorum tenebris, quibus mortalium mentes obvolvuntur, amotis, salutare suum lumen diffundat, quo illi veram salutis et iustitiae semitam, aspirante Dei gratia, agnoscant et instent. Ex hoc item eveniet, ut Ecclesia veluti invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Iesu Christi regnum in terris longe lateque propaget ac preferat.

Nunc vero ut vota Nostra impleantur, utque Nostrae vestraeque curae uberes iustitiae fructus Christianis afferant populis, ad Deum omnis iustitiae et bonitatis fontem erigamus oculos, in quo

(1) S. Ioan. c. 17. v. 21.

omnis plenitudo praesidii, et gratiae ubertas spe-  
 rantibus collocata est. Cum autem advocatum apud  
 Patrem habeamus Iesum Christum Filium Eius ,  
 Pontificem magnum qui penetravit caelos, qui sem-  
 per vivens interpellat pro nobis, quique in admirabili  
 Eucharistiae Sacramento nobiscom est omni-  
 bus diebus usque ad consummationem saeculi, hunc  
 Redemptorem amantissimum, Venerabiles Fratres,  
 ponamus ut signaculum super cor nostrum, ut si-  
 gnaculum super brachium nostrum, atque ad altare  
 illud, ubi ipse Auctor gratiae thronum misericor-  
 diae constituit, ubi omnes qui laborant et onerati  
 sunt, reficiendi capidus expectat , nostras assidue  
 preces omni cum fiducia deferamus. Eum itaque  
 sine intermissione humiliterque obsecremus, ut Ec-  
 clesiam suam a tantis calamitatibus et omni discri-  
 mine eruat, eique laetam pacis viensem, vitoriam-  
 que de hostibus donet, ut Nobis ac Vobis novas  
 usque vires ad sui nominis gloriam prouvhendam  
 addat , ut illo igne quem venit mittere in terras  
 hominum animos inflammet , ac errantes omnes  
 potenti sua virtute ad salutaria consilia convertat.  
 Vestrae autem pietatis erit, Venerabiles Fratres,  
 illud omni ope curare ut crediti vobis fideles in  
 cognitione Domini Nostri Iesu Christi in dies cre-  
 scant, Eumque in Sacramento augusto praesentem,  
 constanti fide venerantur redament ac frequenter  
 invisant , nihilque erit vestro studio curaque di-  
 gnius, quam ut vigilantibus ad Eius aram ignibus,  
 vigilet etiam in cordibus fidelium gratus pietatis  
 sensus , vigilet indeficiens flamma caritatis. Quo  
 vero facilius Deus ad obsecrationes nostras aarem

suam propitius inclinet, semper et enixe petamus suffragia, primum quidem Deiparae Virginis Mariae Immaculatae, quo nullum apud Deum potentius patrocinkum; deinde Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quorum Natalitia acturi sumus, nec non omnium Caelitum Sanctorum qui cum Christo regnantes in caelis munera divinae largitatis hominibus sua deprecatione conciliant.

Denique Vobis, Venerabiles Fratres, ac aliis omnibus Venerabilibus Fratribus catholicarum gentium Episcopis, item fidelibus omnibus Vestrae atque illorum curae conreditis, quorum pietatis et amoris eximia semper testimonia accepimus, et continenter in dies experimur, singulis universis Apostolicam Nostram Benedictionem cum omni felicitatis voto coniunctam, ex intimo corde amantissime impetrimus.

## LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE B. IOSAPHAT KVNCEWICII ARCHIEPISCOPI  
POLOCENSIS RVTHENICI RITVS, MARTYRIS: EX ORDINE  
SANCTI BASILII MAGNI.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1, Splendidissimum Orientalis Ecclesiae lumen Basilius Caesariensis Antistes , non modo virtute et litteris *Magnus* merito appellatus est, perpetuusque haereticorum malleus, sed coenobitarum, quibus tradidit sanctissimas vivendi regulas, extitit parens; ita ut quemadmodum aiebat Praedecessor Noster Gregorius XIII in litteris Apostolicis « *Benedictus Dominus* » perpetua futurorum temporum successione Monachi, verbo et opere a se instructi, Deum confiterentur, catholicae Ecclesiae ornamento essent atque in dubiis rebus adiumento, qui vitae sanctitate et doctrina, toto terrarum orbe insignes..... floruerunt ». Nec in oriente solum, sed in occidente quoque atque in ipsa Italia basiliana proles vel ab ipso exordio enituit , pluraque volventibus annis utriusque sexus constituens domicilia sedulam dedit

operam ut integra atque intacta catholica fides servaretur. Quod praecipue praestitere apud Graecos Bessarion Archiepiscopus Nicaenus, et inter Ruthenos Isidorus Archiepiscopus Kioviensis ambo eiusdem ordinis alumni, qui sub Eugenio IV Praedecessore Nostro in Concilio Florentino ad unionem Ecclesiae Graecae cum Latina statuendam enixe contenderunt. Neque alii defuere omni aevo religiosissimi Sacrorum Antistites, qui adversus Photianum schisma adlaborarunt; inter quos apud Ruthenos saeculo XVII maxime claurit et luculentissimum constantis animi praebuit exemplum Iosaphat Kuncewicius Archiepiscopus Polocensis rutheni ritus, ac S. Basilii sodalis, qui mori potius maluit, quam fidem et officium prodere, ovesque sibi creditas ad mala pascua ducere; vir sane tot virtutibus silentio magis quam verbis commendandus, quem Nos ad maximos Superum honores, uti Urbanus VIII Antecessor Noster habuerat in votis, Deo favente, eveximus.

§. 2. Anno a partu Virginis circiter MDLXXX Wladimirae illustri Poloniae civitate ex Gabriele Kuncewicio et Marina coniugibus nobilibus et consularibus vitae usuram accepit Ioannes, inde Iosaphat appellatus, statimque in Ecclesia ruthena sanctae martyris Parasceves salutari baptismatis lavacro renatus est. Piis parentibus cordi fuit ut puer diligentissime ad virtutem et sanctimoniam institueretur. Quod bene evenit; puer enim saepe a suis conquisitus, vel in eodem S. Parasceves templo orans, vel domi abditus sanctorum pingens. imagines inveniebatur; quod ab omnibus futurae san-

ctimoniae argumentum habitum est. Nil in eo puerile fuit, suisque coaequalibus tanquam pietatis exemplar proponebatur. Patres Societatis Iesu, quibus etiam conscientiae moderatoribus utebatur, toti erant, ut eum ad caelestia vocatum a mundi oblectamentis atque a schismaticorum seductionibus averterent. Itaque ut fore quartum supra vicesimum attigit annum, volens libensque an. MDGIV Ordini S. Basili Magni in monasterio Wilnensi nomen dedit, assumptoque *Iosaphat* nomine vota solemnia nuncupavit, et sacerdotio auctus est.

§. 3. In hac nova religiosae vitae palaestra, caritate, modestia, temperantia, divinorum officiorum assiduitate, corporis afflictatione, sacrorum librorum lectione, animarumque zelo ita claruit, ut non solum a contubernalibus tamquam monasticae vitae exemplar, sed etiam a civibus tamquam validissimum adversus schisma columen haberetur. Ex quo factum est, ut non modo complures cives ad eum audiendum alacriter convenirent, ipsumque sibi conscientiae moderatorem seligerent, sed et ipsi heterodoxi magna in aestimatione illum haberent, sibique coniunctissimum reddere exoptarent. Tot virtutibus tantaque omnium benevolentia commendatus, Iosepho Rutsio monasterii Archimandrita, ad metropolitanam totius Russiae sedem evecto, Iosaphat basiliana Wilnensi familiae regendae suffectus est. Singulari vigilantiae ac prudentiae laude in hoc munere obeundo resulsit. Quo alias in officio contineret, in monasticae vitae praescriptionibus vel levissimis observandis primus era. Ob magnam orthodoxorum sa-

cerdotum penuriam, sedulo ipse versabatur vel in confessionibus excipiendis, vel in concionibus habendis, vel in aegrotis solandis; ita ut omnia pro civibus suis ecclesiastica munera prope suscepisse videretur.

§. 4. At Deus qui Iosaphat elegerat, ut tanquam lucerna super candelabrum posita in domo Domini luceret, ampliorem vineam excolendam ei comparavit. Tredecim vix elapsis annis, magno suorum desiderio, monasterium, in quo perpetuo abiectus esse cupiebat, relinquere coactus est, et Gedeoni Brolnickio Archiepiscopo Polocensi senio confecto adiutor datus est, in cuius locum aliquot post menses successit. Tantam dignitatem humilis Dei servus declinans quia muneri se imparem ac indignum putabat fugam capessere meditabatur, seque uti Magnus Basilius in deserto abdere. At obedientia coactus tanto muneri, monachis omnibus fugentibus, cessit, seque ad vastissimam illam archidioecesim tribus palatinatibus, seu provinciis constantem nempe Polocensi Witepskensi et Mieislawensi se contulit. Pridie idus Novembbris eiusdem anni MDCXVII solemnem manuum impositionem accepit, atque adveniente Ianuario Polocensem Ecclesiam ingenti civium omnium ordinum frequentia, tantoque gaudio et pompa ingressus est, ut par neque in ipso regum vel principum ingressu umquam visa fuerit. Eum enim Polocenses tanquam bonum Pastorem divinitus sibi missum summo honore, magnaue exceperunt reverentia.

§. 5. Ad tantam dignitatem evectus, externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi ra-

tionem immutavit. Coenobii sui regulas diligentissime servavit. Ex quo factum est, ut plurimi non illustrem Archiepiscopum sed humilem Wilnae monachum illum appellarent. Ut in coenobio, ceteros semper in matutinis horis persolvendis antecedebat. Ea erat animi demissione, ut ne a lampadibus refovendis, vel ipsis tintinnabulis pulsandis abhorreret, quo omnes tempestive possent ad ecclesiam convenire. Plerumque super asseres vel nudam cubabat terram; noctu etiam summa hyeme viis persaepe durissima glacie obductis ad divinam Eucharistiam in cathedrali adorandam nudis pedibus se conferebat. Extremis viginti vitae suae annis, idest ab ipso monastico tyrocinio ad mortem usque pro indusio asperrimo cilicio usus est. Cum vel ad sacramenta administranda, vel ad sacrum faciendum accederet, pungentes quoque catenulas adhibebat, idque tam diu, ut olim vix sacro solemniter facto, prae doloris acerbitate sensibus defecerit, coactusque archidiaconus fuerit illum ferrea zona exuere. Flagellis quoque durissime se caedebat dum Deum pro schismaticorum conversione deprecabatur, et antequam salutarem litaret Hostiam. Nunquam carnis, raro piscibus usus est; herbis et leguminibus tantum vescebatur; sitim aqua levabat, et quandoque ob stomachi debilitatem medicorum consilio modicum sumpsit vinum.

§. 6. Factus forma gregis ex animo, pravos mores verbo et exemplo emendavit; errantes ad bonam frugem reduxit; plures, qui in dioecesim irrepserant, amovit abusus, illos praesertim qui schisma redolerent. Incredibile dictu est, quantum

in pastoralibus muneribus obeundis studium impenderit. Dum concionaretur ea qua praestabat eloquentiae vi omnem insumebat operam ut auditores a virtute minime deflecterent, doctrinam catholicae corde et opere retinerent, et haereticorum schismaticorumque errores respuerent. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, nihil fere ad sui alimoniam reservans; quod praesertim accidit, cum extremae cuiusdam viduae necessitati occurrere satagens, suo ab elemosynis praefecto pretiosum pontificale *homophorium* oppignerare iusserit. Quoties vero de Dei honore vel de religionis cultu ageretur, pecuniae haud parcebat, uti visum est in reparanda pene a fundamentis cathedrali ecclesia Polocensi, cui multa aureorum millia contulit; consanguineos vero suos qualibet rei fruitione abarcebat. Gedeoni Brodnickio antecessori suo non modo peramanter adfuit, sed in vitae extremis curavit, ut publica edita fidei professione se in catholica religione mori omnibus palam faceret. Paroeciis nonnisi viros recte de catholica fide sentientes praefecit. Ecclesiae iura ac bona fortiter asseruit, eaque ab laicis usurpata vindicavit. Romani Pontificis primatus, sive concionibus, sive scriptis, sive disceptationibus propugnator extitit acerrimus. Cum vero schismaticos alloqueretur, Christi mansuetudinem praeferebat et tanta erat oris eius suavitas, tanta in argumentis subtilitas, tantaque in suadendo felicitas, ut slavice *duszochvat* animarum raptor appellaretur. Saepe ex ipsis vetustis slavonicis codicibus, annalibusque ruthenicis demonstrabat, Ruthenos Romani Pontificis

obedientiae semper fuisse subiectos. Quadam vero die cum schismaticis disputans, ab illis provocatus, ut Patriarchae Constantinopolitano obedientiam praestaret, reddito enim illo sibi amico, facilius eos ad unionem cum Romana Ecclesia adducere poterat, prompte respondit: *recognoscat Patriarcha Papam, et ego Patriarcham recognoscam*: cumque hoc responso permulti mortem ei minitati fuissent, *libenter, addidit, mundo pro Christo moriar.*

§. 7. At vir Dei tot christianis virtutibus ornatus, quae solae sufficerent ad eius perfectionem ostendendam, quaeque Caelitum honoribus plene dignum efficerent, haud dubitavit pro fide catholica vitam in discriminem adducere. Schismatici enim cum eius robur infirmare nullatenus possent, impie eum vexare nunquam destitere; primum irrationibus eius constantiam tentare coeperunt; mox eum in tabulis diabolico habitu indutum et uncis animas ad se trahentem deformiter pinxerunt; cum per vias incederet, *en*, clamabant, *en praesulem latinum, en papistam; tollamus eum de medio nostrum*. Quae omnia heterodoxi cum nossent frustra adhiberi, hostes palam facti, eum e vivis eripere cogitarunt, totque artibus sunt usi, usquedum eum erasere de terra viventium. Ter praecipue nefario conatu in Dei famulum conspirarunt. Primum mense Februario anni MDCXXI cum publice in Praetorio litterae a Sigismundo Poloniae Rege missae legerentur, quibus mandabatur ne Meletio Smotrio pseudo-archiepiscopo, sed Iosaphat Sanctae Romanae Ecclesiae obediens, illique unito omnes Polocenses Rutheni obsequerentur, eamdemque cum Ro-

mana Ecclesia profiterentur unionem. Iterum cum  
insequenti anno MDCXXII sacro Pentecostes die  
piam cum Clero et populo ad Sancti Spiritus ec-  
clesiam supplicationem institueret, illico schisma-  
ticorum copia circumdatus tot fuit contumeliis et  
maledictis appetitus, ut fideles vix Pastorem suum  
ab illorum manibus eripere potuerint, coactique  
fuerint inordinate velociterque ad templum redire.  
Tertio tandem in festo Transfigurationis Domini  
Nostrri Iesu Christi die sexta Augusti eiusdem anni  
dum sacrum solemne Archiepiscopus perageret eo  
furore schismatis sectatores Archidiaconum per-  
cussere, ut hic super pavimentum decidens sensi-  
bus destitueret; dein Archiepiscopum adorti sunt,  
at fideles in sacra aede collecti ita eum tutati sunt,  
ut scelestissimi homines praecipites ab Ecclesia  
discesserint.

§. 8. Quamvis autem ab ecclesiasticis viris et  
ab amicis cohortaretur, ut sibi consuleret, vita-  
que discrimen devitaret, nihilominus exeunte mense  
Octobri anni MDCXXIII Witepskum petiit, cuius  
nimium multi cives schismati adhaerebant, seque  
ad martyrium paratum affirmabat; dummodo boni  
Pastoris officium adimpleret, et dignus a Deo ha-  
beretur qui pro ovibus suis animam poneret. Pau-  
cis ante necem diebus, cum dies festus ageretur  
S. Demetrii Martyris, concendit cathedram et de  
laudibus Sancti Martyris huius sermonem ad po-  
pulum habuit, in quo illa evangelica verba quae  
lecta fuerant usurpavit: *Venit hora ut omnis qui*  
*interficit vos arbitretur se obsequium praestare Deo;*  
inde populum sibi infensem compellans ait: « Vos

» Witepskenses me ad mortem quaeritis: in flu-  
 » minibus, in pontibus, in viis, in civitatibus in-  
 » sidias mihi struitis: ecce me sponte ad vos ve-  
 » nisse videtis, ut sciatis me esse pastorem ve-  
 » strum: atque utinam pro vobis, pro unione san-  
 » cta, pro Sede Petri eiusque Successorum Roma-  
 » norum Pontificum animam meam effundam. »  
 Quae concio schismaticorum animos magis accendit,  
 qui eas meditati sunt insidias, quas Dei servus  
 evadere omnino nequiret. Die XII Novembris eius-  
 dem anni tumultus ex industria excitatus est. De  
 hac re tempestive Archiepiscopus ab amicis mo-  
 nitus noluit sibi consulere. Insomnis praecedentem  
 noctem in lacrimis, precibus, ac flagellis iugiter  
 produxerat. Summo mane Ecclesiam petiit, ut as-  
 suetas horas canonicas persolveret; et quod mi-  
 rum, inter conspiratorum turbam minime obser-  
 vatus incolumis pertransiit. In domesticum orato-  
 rium se recipiens fervidissimis vacabat precibus,  
 cum hostes confractis foribus pontificalem domum  
 facto impetu invadunt. Dorotheum eius archidia-  
 conum famulosque acerbissime caedunt sauciantque,  
 omnem supellectilem diripiunt. Antistes clamoribus  
 excitatus et precibus intermissis, e cubiculo exiit,  
 in atrio constitit, impertitoque sicariis crucis signo,  
 blandis verbis *filioli*, inquit, *quare meos famulos*  
*insontes caeditis? siquid contra me habetis, ecce*  
*adsum.* Impii homines hac voce veluti fulgure per-  
 cussi immobiles steterunt: at duo, qui eius verba  
 minime audierant ex adverso cubiculo erumpentes  
 confodiendum latinum papistam inclamabant; et il-  
 lico Archiepiscopi, manibus ad crucis instar ante

pectus positis, alter fuste caput, alter bipenni percussit. Tum gloriosum Martyrem humi prostratum quotquot in atrio aderant, gladiis confodiunt, qui inter vulnera elevatis ad caelum manibus, exclamat, *Oh! Deus meus!* Sicarii quum minime mortuum adhuc eum viderent, globulo ignae ballistae iterum caput eius effodiunt interimuntque. Nec satis: efferati enim homines illi in Praesulis cadaver saeviunt, vestes detrahunt, illumque cilicio indutum, et zona ferrea acutis cuspidibus intertexta praecinctum inveniunt. Obstupescentes haerent an Pontificem vel simplicem monachum interemerint, dictantes Iosaphat molles vestes non eiusmodi asperitates adhibuisse. Duos deinde famulos iam vulneribus affectos e latibulis protrahunt, atque verberibus adigunt, quia interemptum palam faciant. Certiores facti esse Archiepiscopum Iosaphat, super nudum eius corpus insiliunt yino indulgentes, illud conspuant, barbam caesariemque evellunt. Detracto deinde cilicio, corpus ad pedes funibus circumligant, interque contumelias et iniurias per urbem raptant; denique ex arduo praeruptoque monte in Dunam flumen proiciunt. Prodigio illaesum Martyris corpus ad ripam constitit; quae res non minuit sed eorum auxit furorem. Advolant scelestissimi homines, lintri corpus imponunt, ad mille passus averso flumine adducunt, cilicium ad collum alligant quod saxis replet, pedibusque ingentem annectunt lapidem, mox ad viginti cubitorum altitudinem magna vi demergunt.

§. 9. Nonnullis elapsis diebus Witepskenses poenituit tam dire cum Archiepiscopo egisse; ubique

luctus apparuit , ubique clamores exaudiiti sunt ,  
 occisum fuisse Patrem , demersum Pastorem , omnes  
 que Iosaphat ut veniam daret exorare coeperunt .  
 Magistratus magnam argenti vim piscatoribus pro-  
 misit , ut Praesulis corpus inquirerent ; sed adeo  
 profunde coeno adhaeserat , ut illud invenire mi-  
 nime valuissent , ni prodigo magna lux in aqua-  
 rum imo visa fuisse , cuius ope corpus invenerunt  
 eam praeferens integritatem et pulcritudinem , ut  
 omnes obstupuerint , vivoque persimile uno ore di-  
 xerint . Ob hanc miram corporis Iosaphat integri-  
 tatem permulti commoti effudere lacrimas ; et  
 Ioannes Chodeska Consul Polocensis cordis dolore  
 tactus schisma illico eiuravit . Sacris indutum ve-  
 stibus Iosaphati corpus solemni ac pene triumphali  
 pompa Polociam delatum fuit ; splendidissimae illi  
 factae sunt exequiae tota comitante civitate ; ma-  
 ximoque honore deinde conditum fuit , omnibus  
 admirantibus quod iam multis elapsis mensibus in-  
 corruptum adhuc perseveraret . Cum vero Poloniae  
 Rex impios parricidas capite damnasset , aliud quo-  
 que evenit , quod divinæ virtuti tribuendum est ,  
 ferme enim omnes haud schismatici uti vixerant ,  
 sed in mortis articulo resipiscentes catholicam fidem  
 amplexi , piaculares sceleris poenas fuerunt . Neque  
 hoc satis ; sicuti ad preces Stephani protomartyris  
 Saulus caedis et minarum spirans e lupo in agnum  
 commutatus est , ita Iosaphat precibus ipse Me-  
 letius Smotricius acerrimus unionis oppugnator , fa-  
 cti poenitens , Petri Cathedrae Romanoque Pontifici  
 ardenti studio adhaesit , catholicam fidem strenue  
 asseruit , diemque supremum piissime obivit .

§. 10. Beati Iosaphat fama non imminuta, sed miraculis et prodigiis aucta in dies est. Itaque Sigismundus III et Wladislaus IV Poloniae Reges, illiusque regni Antistites, Proceres, Clerus, populusque universus una cum Monachorum basiliana familia ab Urbano VIII Summo Pontifice Praedecessore Nostro, qui eodem anno quo Dei Servus obiit Petri Cathedram ascenderat, efflagitarunt, ut eundem Sanctorum catalogo adnumeraret. Quamvis vero Summus hic Pontifex eo ferme tempore constituisset, non posse agi de canonizatione cuiusquam nisi quinquaginta elapsi fuerint anni a die vel obitus vel martyrii, tamen ob praeclarissima Iosaphat merita, *qui Ecclesiam latinam cum graeca univit, et pro Christi fide passus fuit, mandavit, aperiri processus Auctoritate Apostolica confectos, et ad ulteriora in qual. bet Congregatione procedi;* voluit tamen ut hae causae in exemplum minime haberentur. Servata itaque veteri disciplina, idem Urbanus Antecessor Noster iussit, ut processus huiusmodi a tribus S. Romanae Rotae Auditoribus perpenderentur, nempe a Io. Baptista Coccino, Philippo Pirovano et Clemente Merlino, qui accuratissimam relationem texuerunt, de eius *Martyrio et Causa Martyrii*, quam idem Urbanus decreto suo die XIII Septembris anni MDCXLII ratam habuit. Neque multo post, nempe die XXII Novembris eiusdem anni a Sacra Rituum Congregatione decretum est; *Constatre de miraculis, et sufficienter haec quatuor probari; primum Petri Dankouski Consulis Polocensis illuminati; alterum Marinae foeminae pedum usui restitutae; tertium Michaelis Vi-*

ceducis Polocensis a podagra liberati; quartum denique Gennadii monachi Ordinis S. Basillii et Prioris monasterii Novogradensis a paralytico morbo sanati. Hisce positis, eadem Sacrorum Rituum Congregatio declaravit, memoratum Dei servum Iosaphat Archiepiscopum Martyrum catalogo adscribi, atque ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deviri posse. Interea tamen donec ipsa Canonizatio fieret, concessum fuit, ut ab omnibus Monachis S. Basillii ubique locorum degentibus, neconon et in omnibus ecclesiis dioecesis et provinciae Poloniae ac totius metropolis Russiae a quibuscumque sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus die natali ipsius B. Martyris et Pontificis, XII videlicet Novembris, officium et missa de communi unius martyris pontificis recitari respective ac celebrari valeat, iuxta ritum breviarii et missalis romani, nec non graeci seu rutheni ab Apostolica Sede approbati.

§. 11. Haec sacrae Congregationis sententia ab eodem Urbano VIII die XXII Decembris anni MDCXLII probata fuit. Cum vero saera Congregatio de Propaganda Fide alacrem huic rei operam dedisset, idem Summus Pontifex voluit, ut dies ad heati Iosaphat memoriam celebrandam ab eiusdem sacrae Congregationis Cardinali Praefecto seligeretur. Eiusdem Beatificatio autem expeditis litteris Apostolicis in forma Brevis die XIV Maii anni MDCXLIII obtinuit; eximiusque catholicae religionis vindex solemni pompa inter Beatos Martyres adscriptus est.

§. 12. Quamvis Deus Optimus Maximus beati Iosaphat sanctimoniam innumeris prodigiis et miraculis testari non desierit , tamen bis centum et ultra annos solemnis eius Canonizatio desiderata est. Cum vero hac nostra aetate , perdit homines ex universo terrarum orbe in unum convenientes Ecclesiam Dei divexare non desinant, impias propagare doctrinas, haereticam fovere pravitatem , atque omnia agere, ut ovile Christi si non omnino destruant , quod sane fieri minime potest , saltem undique a lupis aggrediatur, libenter precibus aures Nostras accommodavimus Episcoporum Gallaeciae et Monachorum Ordinis S. Basillii, atque nobilissimam hanc Causam iterum suscipiendam ac penitus absolvendam censuimus. Sententiam itaque pro veritate exquisivimus a dilecto filio Petro Minetti S. Fidei Promotore ; cumque Causa isthaec in eodem statu reperiretur, ac illa Martyrum Iaponensium, loco Consistorii in Consilium convocavimus Venerabiles Fratres Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositos apud Vaticanas Aedes die X Ianuarii anni MDCCCLXV; factoque dubio a Venerabili Fratre Nostro Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et S. Rufinae eiusdem Sacrae Congregationis Praefecto ac Causae relatore, an tuto procedi posset ad solemnem B. Martyris Iosaphat Canonizationem , omnes uno ore assenserunt. Cum vero in re tanti momenti Divini Spiritus opem a Nobis diu exorandam duxerimus, Nostram distulimus proferre sententiam usque ad diem II Maii eiusdem anni S. Athanasio strenuo catholicae fidei vindici sacram. Hac itaque die ad Ecclesiam ipsius S. Atha-

nasii graeci ritus concessimus , Sacro eidem ritui graeco-ruthenico oblato adstitimus ; atque deinde accitis Venerabili Fratre Nostro superius memorato Cardinali Patrizi et dilectis filiis Petro Minetti S. Fidei Promotore, et Dominico Bartolini eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, ceterisque de more adstantibus pronunciavimus, tuto procedi posse ad solemnem B. Iosaphat Kuncewicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenici Ritus Martyris Canonizationem.

§. 13. Ad servandam autem in tam gravi negotio a Praedecessoribus Nostris praescriptam agendi rationem, primum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in Consistorio habito die III Iunii anni MDCCCLXVII sententiam rogaturi coram Nobis convocavimus, qui Beati Iosaphat gestis a dilecto filio Francisco Morsilli Nostraæ Consistorialis Aulae Advocato auditis, Nos ad legitimam Causae huius absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus etiam litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores Episcopi, sed remotissimi quoque Americae, ceterique qui orientales plagas incolunt, cumque hac sancta Apostolica Sede communionem habent, de hac re commonerentur, seque ad Urbem conferrent, ut Nobis de solemni B. Iosaphat Canonizatione aliorumque quos illi sociavimus consilia suppeditarent quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in publico Consistorio coram Nobis uti diximus coacto , tum ex monumentis a Sacrorum Rituum Congregationis Tabulario depromptis, quorum exemplar unicuique tradi voluimus, in semipublicum Consistorium coram Nobis colle-

ctum convenerunt die XII Iunii vertentis anni. Non modo Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales , sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi omnes in eamdem sententiam conspirarunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta in tabularium sanctae Romanae Ecclesiae relata sunt.

§. 14. Ad solemnem hanc Canonizationem celebrandam praesentem decrevimus diem XXIX Iunii volventis anni, saecularem, teste Hieronymo, faustissimae illius diei, qua in hac ipsa urbe Apostolorum Princepes martyrii palmam receperunt , fidemque ab ipsomet Christo acceptam suo sanguine confirmarunt. Putavimus enim splendidius hanc memoriam celebrari non posse, quam tot novensilium Sanctorum aucta pompa atque laetitia. Indictis interea in Urbe ieuniis, statutisque ecclesiis ad sacras indulgentias lucrandas hortati sumus omnes christifideles, ut precibus et obsecrationibus instantes caelestem Nobis opem in tanto negotio implorarent.

§. 15. Ubi faustissima illuxit dies, omnes, tum saecularis, tum regularis Cleri Ordines, singuli romanae curiae Praesules et Officiales, cuncti denique Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales , Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, ad numerum pene quingentorum in Vaticanam Basilicam convenerunt , ceu sponsae ritu mirifice ornatam, quam, iis praeeuntibus, solemni supplicatione ingressi sumus. Tunc Venerabilis Frater Noster Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis et S. Rufinae Canonizationi huic procurandae praepositus,

perorante dilecto filio Ioanne Baptista De Dominicis-Tosti Nostrae Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum, universaeque Basilianae Familiae, ut Beatum Iosaphat cum aliis viginti quatuor beatis in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio memorati Cardinalis et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus Nos obsecrassent; ut tandem aliquando Nostram aperiremus sententiam, primum universae caelstis aulae praesidio, dein divini Spiritus lumine implorato; ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Catholicae Fidei et Christianae Religionis incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione praehabita, divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum consilio, praedictum B. Iosaphat Kuncewicium Episcopum Polocensem Ruthenici Ritus ex Ordine S. Basilii Magni Sanctum esse decrevimus, definivimus, ac Sanctorum Martyrum albo adscripsimus. Cui addidimus et pariter in Sanctorum albo recensuimus Petrum De Arbues alias Magistrum Epilae Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae Canonicum regularem S. Augustini; Nicolaum Pichium Ordinis Fratrum Franciscalium aliosque XVIII socios Gorcomienses appellatos, omnes martyres; Beatum Paulum Clericorum Regularium excalceatorum a Cruce et Passione Domini Nostri Iesu Christi Institutorem; B. Leonardum a Portu Mauritio Mis-

sionario Apostolicum Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae in recessu S. Bonaventurae de urbe Confessores; atque Beatas Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi tertiariam professam Ordinis Minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neapolitana , et Germanam Cousin ex oppido Pibrac Tolosanae dioecesis, virtutibus, Christi imitatione et prodigiis omnes spectandos.

§. 16. Eiusdem S. Iosaphat memoriam quotannis die XII Novembris in romano martyrologio recolendam mandavimus, atque omnibus christifidelibus, qui eius sepulcrum ea die venerati fuerint indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in Domino perpetuo elargiti sumus. Gratiis deinde Deo optimo maximo actis, Sacrum solemniter litavimus, laetitiamque animi Nostri exprimere cupientes sancti Evangelii peracta lectione universum clerum populumque adstantem cohortati sumus, ut novum Christi Martyrem venerarentur, imitarentur, ipsumque cum Apostolorum Principibus enixe rogarent, ut in hisce potissimum Ecclesiae calamitatibus potentem apud Deum adiutorem experiamur. Plenaria denique Indulgentia per ampleriter impertita, Apostolicas hasce litteras manu Nostra, ac omnium S. R. E. Cardinalium signatas, ac sigillo Nostro munitas expediri mandavimus.

§. 17. Oh egregium catholicae fidei Athletam Sanctum Iosaphat ! qui Dominici gregis partem a Christo sibi custodiendam traditam ea sedulitate, diligentia, atque alacritate servavit, ut ipsius vitae florenti aetate prodigus esse non dubitaverit. Non

mina, non contumeliae, non fraudes, non calumniae illum terruerunt; blandimentis, muneribus, ceterisque mundi oblectamentis captus minime fuit; contra schismaticos, atque acatholicos strenue pugnavit. A Romana Petri Cathedra vel ad unguem avelli minime passus est. Sicariorum ictibus cum peteretur, non aufugit, caput suum illis ultiro obiecit, pastorumque Pastorem imitatus non modo veniam impetravit sed pro ipsis interfectoribus sanguinem suum Deo libentissime obtulit. Felix deprecatio, quae illico exaudita est! Non modo sceleris auctores, sed sicarios ipsos a civili potestate ad luendam poenam vocatos, facti poenituit; atque ipsi ad catholicam fidem morientes reversi sunt. Utinam Sancte Iosaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis pignus cum Sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti, quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo maximo expostulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum caelestemque aulam te deprecatorem assiduum exoptamus.

§. 18. Omnibus quae inspicienda erant bene perpensis certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut eorumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce


Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§. 19. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire voluerit aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

¶ Eco Pius CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



- ✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veltornus,  
card. Sacri Collegii decanus Mattei , Pro-  
Datarius.
- ✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Ru-  
finae card. Patrizi.
- ✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat,  
Vice-Cancellarius.
- ✠
- ✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de  
Alteriis, S. R. E. Camerarius.
- ✠ Ego Nicolaus card. episcopus Tusculanus Claver-  
elli Paracciani, Brevium a Secretis.
- ✠ Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Ther-  
mas proto-presbyter card. De Angelis , ar-  
chiepiscopus Firmanus.
- ✠
- ✠ Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter  
cardinalis Vannicelli Casoni, archiepiscopus  
Ferrariensis.
- ✠
- ✠ Ego Cosmas tituli sanctorum Ioannis et Pauli  
presbyter card. Corsi, archiepiscopus Pisanus.
- ✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte  
Coelio, presbyter card. Asquini.
- ✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum  
ad thermas presbyter card. Carafa de Tra-  
iecto, archiepiscopus Beneventanus.
- ✠ Ego Xystus tituli sanctae Sabinae presbyter  
card. Riario-Sforza , archiepiscopus Neapo-  
litanus.
- ✠ Ego Iacobus Maria Hadr. Caesareus tituli sancti

Silvestri in capite presbyter card. Mathieu,  
archiepiscopus Bisuntinus.



¶ Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae  
in Via presbyter card. Donnet, archiepisco-  
pus Burdigalensis.



¶ Ego Camillus tituli sancti Ioannis ante portam  
latinam presbyter card. De Petro.

¶ Ego Ioachim tituli sancti Chrysogoni presbyter  
card. Pecci, archiep. episcopus Perusinus.



¶ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae  
Trans-Tiberim presbyter card. De Reisach.



¶ Ego Alexander tituli sanctae Susanna , pre-  
sbyter card. Barnabò.



¶ Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Sil-  
vestri et Martini presbyter card. Antonucci ar-  
chiep. episcopus Anconitanus et Humanus.



¶ Ego Ioseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli ,  
presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, Abbas  
sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas  
Salvias.

¶ Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter card.  
De Silvestri.



¶ Ego Carolus tituli sanctae Mariac de populo ,  
presbyter card. Sacconi.

- ✉ Ego Michael tituli sanctae Priscae presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- ✉ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- ✉ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, Poenitentiarius maior.
- ✉ Ego Ioseph Aloisius tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato Patriarcha Venetiar.
- ✉ Ego Antoninus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- ✉ Ego Ioseph Andreas tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter card. Bizzarri.
- ✉ Ego Ludovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- ✉ Ego Io. Baptista tituli sancti Callisti presbyter card. Pitra.
- ✉ Ego Fr. Philippus Maria tituli sancti Xysti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiensis.
- ✉ Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De Bonnechose, archiepisc. Rothomagen.
- ✉ Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen, archiepisc. Dublinen.
- ✉ Ego Gustavus tituli sanctae Mariae in Transpontina presbyter card. De Hohenlohe.
- ✉ Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Panepenna presbyter card. Bilio.

- ✠ Ego Ioseph sanctae Mariae in Via Lata card.  
Proto-Diaconus Ugolini.
- ✠ Ego Ioseph sancti Caesarei card. diaconus Bonfondi.
- ✠ Ego Iacobus sanctae Agathae ad Suburram  
card. diaconus Antonelli.
- ✠ Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card.  
diaconus Roberti.
- ✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- ✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card.  
diaconus Grassellini.
- ✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.
- ✠ Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card.  
diaconus Pentini.
- ✠ Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica card.  
diaconus Consolini.

M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Paracciani.

Loco ✠ Plumbi.

Visa De Curia  
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

## LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE B. PETRI DE ARBVES ALIAS MAGISTRI  
 EPILAE MARTYRIS CANONICI REGVLARIS ORDINIS SANCTI AVGVSTINI  
 ECCLESIAE METROPOLITANAECAESARAVGVSTANAE AC PRIMI  
 INQVISITORIS REGNI CELTIBERIAE.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1. **M**aiorem caritatem haberi non posse, quam ponere animam suam pro fratribus suis, divinae sapientiae effatum est; quibus verbis maximus Dei proximique amor designatur. Omnes enim ab iisdem sumus parentibus geniti, sanguine Christi redempti, omnesque ad eamdem caelestem haereditatem vocamus. Cum vero permulta sint officia, quae fratribus nostris reddere et possumus et debemus, maximum est, pro illis non divitiarum, non voluptatum et potentiae, sed ipsius vitae iacturam facere, ut fideles aeternam habeant vitam, illius imitatores effecti, qui licet Deus, factus est homo ad nos aeterno Patri suo reconciliandos, mortique traditus est. Laudandi itaque sunt, qui toto vitae spatio fratres suos diligentes non modo ad viam

Domini currēdam indesinenter excitarunt, sed quod maximum et virilis fortitudinis est pro illis sanguinem suum fuderunt, parati magis occūbere, quam manus victas in tanto animarum detrimento dare. Compertum enim satis habebant, neminem beatām vitam consequi posse, nisi quis vērum Deum noscat, et quem ille misit Iesum Christum, qui primus pro fratribus suis animam posuit. In hoc tam specioso martyrum agmine, quod catholicae ecclesiae verum et perenne est ornamentum, emicat S. Petrus De Arbues, qui Christum fidēliter secutus, florenti adhuc aetate pro fide, impiorum armis occubuit, cuiusque p̄aeconio hodierna die universus orbis resultat.

§. 2. Prope Caesaraugustam, urbem Celtiberiae principem, in arce Epilae anno circiter ab incarnatione dominica MCCCCXLI in lucem editus est Petrus, ab Antonio De Arbues et Sancia Ruiz coniugibus, pietate, moribus, divitiis clarissimis, atque primoribus regni illius familiis affinitate et foedere coniunctis. Diligentissime a parentibus domi institutus, adeo in litteris ab ineunte aetate profecit, ut deinde ob singulare magisterium et theologiae scientiam, Magister Epilae cognomento fuerit appellatus. Ut a pueris excessit, Huescam a parentibus missus, in ea universitate humanioribus litteris operam dedit ea alacritate, ut nihil magis. Neque minus pietate et morum innocentia eminebat, iunctaeque in ipso humana atque divina sapientia amico foedere videbantur. Precibus assiduus, mundi pompis aversus, singularibus gratiae et naturae donis praefulgebat. Quapropter, cum

Caesaraugustanus Antistes adoloscentem eligere debet, qui in Bononiensi Collegio S. Clementis, a cardinale Albornotio pro Hispaniarum regnis fundato, litteris operam daret, nullum Petro De Arbuies praferendum duxit. In celebri hac palaestra quinquennio versatus, adeo celeriter in philosophicis ac theologicis disciplinis profecit, ut magistris solatio, suisque sodalibus exemplo esset. Suffragantibus decurialibus doctoribus, condiscipulis, totaque Bononiae urbe plaudente, laurea in utraque facultate donatus, philosophiae morum tradendae in eadem universitate doctor renunciatus est. Quae omnia eius haud extulere animum.

§. 3. Fama ad Antistitem, canonicosque metropolitanae suae ecclesiae perlata, qui regulam S. Augustini profitebantur, apud se illum revocandum censuerunt, laetissimi si inter ipsos accenseri vellet. Libenter vir Dei assensit, in Ecclesia Caesaraugustana cooptatus, solemnia vota an. MCCCCCLXXVI edixit. In ipso tyrocinio regularis observantiae illustria argumenta dedit, maioresque de die in diem in via mandatorum Domini currenda habuit progressus. Sacerdotio initiatus, atque in sanctorum scientia bene institutus ad lucra animarum conversus ministerio verbi Dei ac sacramentis administrandis non sine ingenti fructu se totum addixit. Nulla in re sive spirituali sive temporali proximo defuit. Modestia, temperantia, corporis afflictione, rerum terrenarum contemptu, psalmodia in choro persolvenda, singularique in Deum et proximum caritate, in sana doctrina cle-

ricis tradenda mirabiliter eluxit ; omnia omnibus factus.

§. 4. Interea Ferdinandus rex Catholicus, formidabili exercitu paullo ante ad granatense bellum coacto, cum totam fere Hispaniam Maurorum tyrannide diu oppressam liberasset, illamque catholicae fidei restituisset, a Xysto IV atque Innocentio VIII antecessoribus Nostris petiit , ut sacrae Inquisitionis tribunal ad orthodoxam fidem in posterum melius tutandam , atque hebraeorum perfidiam et mahometricam superstitionem penitus ex Hispaniis eradicandas institueretur. Rege voti compote effecto, a sancta hac Sede Celtiberiae Inquisitoris munus IV nonas Maii an. MCCCCCLXXXIV Petro commissum est. Maximo animi ardore hic demandatam provinciam suscepit. Totus enim erat, ne ovile Christi ab haereticis atque acatholicis ullo modo impeteretur. In hoc munere eius diligentia, studium, et caritas semper eluxere; monitis enim hortationibus , ac suasionibus solerter utebatur, Amice cum ipsis loquebatur, patienter eos audiebat, docebat, eorum difficultates enucleabat, eosque non veluti iudex, sed tamquam amantissimus pater excipiebat. Sin autem incassum haec omnia cessissent, ne muneri suo deesset, commissosque sibi christifdeles ab haereticis atque heterodoxis tueretur, pervicaces tandem reos puniebat, Deo magis quam hominibus placere studens.

§. 5. Summopere pro fide mori exoptans, Dcum enixe precabatur, ut tandem aliquando pro eadem fide sanguinem fundere sibi tribueret. Quod revera factum est. Cum enim Iudaei, ceterique catholicae

religionis osores perspicerent, inquisitorio tribunali manente tutos esse non posse, in Arbuesium uti rei inopportunae auctorem et scelerum vindicem ira exarserunt, prudentemque virum sibi infensis simum e medio tollere conspirarunt. Plurimis domi forisque calumniis laccessitus, insidiis diu noctuque appetitus, omnia Dei, bonorumque auxilio vitavit, donec caelitus sibi mortis advenisse cognovit diem. Omnium insidiarum bene conscius, pro suis persecutoribus orabat, atque in officio perseverans, nec minis nec blanditiis deterritus, gloriosam pro Christo mortem magno atque alacri animo, ut diximus, oppetere cupiens, ieconiis, vigiliis et precibus optato certamini se parabat, die obitus sui ingenti gaudio sodali cuidam praedicto.

§. 6. Itaque iudei, contra illum, uti olim in Christum, consilio inito, magno pretio conduxerunt, qui Arbuesium dolo tenerent, eumque occiderent. Cum frustra Petrum in eius cubiculo necare tentassent, detecti illico sunt; mox metropolitanam ecclesiam tanti facinoris theatrum elegerunt; singularis enim noctibus Vir Dei assurgens una cum canonicis fratribus matutinas horas persolvebat. Omnibus antea bene perspectis, sicarii in templo se abundant, ac Petrum opperiebantur qui canonicali habitu indutus aliquantulum ante altare orare solebat. Clam sequuntur, et vix ante marmoreum arae maximae septum genua flectit, eo ipso temporis momento, quo caneatur: *quadraginta annis proximus fui generationi huic: quibus verbis Iudeorum pertinacia a Davide arguebatur; Hebraei multos interictus lethifero gladio guttur beatissimo viro con-*

fodiunt, qui in terram procumbens exclamat: *laudatus sit Jesus Christus quia morior propter eius sanctam fidem.* Sicarii obriguere, neque fugam capere valuissent, nisi socii ad suppeticas ferendas parati auxilium illis praebuissent. Insueto rumori canonici omnes e choro accurrint, Arbuesium humi iacentem et proprio sanguine madentem inventiunt. Effusi in lacrimas suis illum attollunt brachiis, atque in lectulo collocant. Biduo gloriosus martyr supervixit; modo Deum pro suis intercessoribus deprecabatur eisque veniam dabat; modo ferventissimos fidei et caritatis actus eliciebat. In extremo vitae agone clarior virtutibus enituit, donec ecclesiae auxiliis omnibus refectus XV Kal. Oct. an. MCCCCCLXXXV quadragenario maior ad martyrum coronam evolayit.

§. 7. Ingens populi multitudo ad eius funus confluxit, exequiae satis splendidae, in metropolitana aede habitae sunt canonieis regularibus ipsoque Archiepiscopo adstantibus, quae non multo post pompa haud minori renovatae sunt. Corpus in eo loco conditum fuit, quo fuerat a sicariis confossum, Humatis exuviis, Petri sanguis ad reconciliandam ecclesiam canonorum cura e pavimento abstersus et exsiccatus, inspectante conferta multitudine, effervescere et decurrere coepit ac si e vivo corpore profluueret; adstantesque linteaminibus et sudariis eum pie colligebant; quod prodigiis loco habitum est, ac mirum in modum extulit Arbuesii sanctitatis opinionem, quae iampridem alte insederat hominum animis.

§. 8. Cum vero in dies fortissimi sacerdotis memoria miraculis, et maxima fidelium veneratione augeretur, ingens populi multitudo ad eius sepulcrum quotidie conveniebat; qui cultus Caesaraugustani Archiepiscopi decreto, civium et catholiconum Regum cura et donis splendidior factus adeo invaluit; ut die X Kal. Aprilis an. MDCLII Nostra tuendis Ritibus Congregatio, Innocentio X Antecessore Nostro approbante edixerit, constare, dicto Servo Dei cultum exhibitum fuisse, et ad praesens exhiberi, et comprehendendi inter castus exceptos a decretis sacrae Inquisitionis, et proinde praefatis decretis nequaquam contrarium esse, et posse ad ulteriora procedi.

§. 9. Interea instantibus saepè Hispaniarum Regibus Carolo V, Philippo III et Philippo IV; Archiepiscopo et canonicis metropolitanae ecclesiae Caesarburganae, in pluribus Hispaniarum dioecesibus Apostolica auctoritate conditi fuere processus, qui postea a tribus delegatis Iudicibus sacrae romanae Rotae Auditoribus nempe Io. Baptista Coccino, Alphonso Mazanedo, et Iacobo Cavalerio, veteri servata disciplina, processus conditi atque ad examen vocati fuerunt. Ab iisdem sacrae Rotae Auditoribus accuratissima relatione sacrosanctis Ritibus Congregationi exhibita, eadem pridie Idus Decembris anni MDCLXI coram Alexandre VII antecessore Nostro in generalem conventum collecta edixit: SSmas prævia discussione de Fratrum consilio censuit constare de martyrio et de causa martyrii, ac proinde ad ulteriora procedendum esse, nempe ad discussionem miraculorum.

§. 10. Instituta illico prodigiorum disquisitione, idem sacer Consessus XVI Kal. Februarias an. MDCLXIII coram eodem Alexandre VII Antecessore Nostro habitus sancivit: constare de miraculo effervescentiae et multiplicationis Sanguinis, qui semel atque iterum, secunda et duodecima post inficta in Dei Servum vulnera e lateritio Ecclesiae solo eruperat. Eodem vero anno VII Kal. Octobris ab eodem sacro Consessu declaratum est: constare de tertio et sexto miraculo nempe de tertio instantaneae sanationis Mariue De Ciria ab ore torvo, et sexto pariter instantaneae sanationis Elisabeth de Andrea ab ulcere cancri in ore. Hisce peractis facta in comitiis a Cardinali Chisio accurata relatione super vita, virtutibus, martyrio, eiusque causa, et prodigiis tam effervescentiae, atque multiplicationis sanguinis, quam de duobus aliis memoratis miraculis, omnibusque actis et gestis in causa supradicta, eadem sacra Congregatio censuit, quandocumque tuto deveniri posse ad solemnem canonizationem Petri Arbuesii iuxta ritum S. Romanæ Ecclesiae et sacrorum canonum dispositionem: atque in basilica Vaticana V Kal. Maias an. MDCLXIV elegantiori pompa et ornatu beatificatio habita est, expeditis apostolicis litteris in forma Brevis XVI Kal. Maias eiusdem anni.

§. 11. Cum perlongo temporis spatio causa isthaec nobilissima tacuisse, nec definitiva umquam prolata fuisse sententia, Nos, qui ad Ecclesiastim pro viribus tuendam constituti sumus, causam omnino explendam esse in Domino censuimus. Itaque benigne Antistitis et canonicorum Caesarau-

gustanae Ecclesiae servidas preces excipientes, quemadmodum de viginti sex Martyribus Iaponensibus, iussimus ad tramites veteris iuris praesentem Causam expediri. Audita pro veritate sententia dilecti filii Petri Minetti S. Fidei Promotoris, in Vaticano Palatio loco Consistorii ad Consilium coegimus VIII Idus Decembris anni MDCCCLXIV Venerabiles Fratres Nostro S. R. E. Cardinales sacris Ritibus tuendis praepositos, et a dilecto Flio Nostro cardinali Carolo Sacconi causae relatore proposito dubio, *an tuto procedi possit ad solemnem Beati Petri De Arbues Canonizationem*, omnes uno ore assenserunt. Nos vero in re tanti momenti enixius Deum deprecaturi, distulimus Nostram ferre sententiam, usque ad feriam V post Dominicam Sexagesimae eiusdem anni, qua die in Vaticano Nostro Palatio accitis Ven. Fratre Nostro Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et S. Rufinae sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, atque ab ipso Cardinali Carolo Sacconi causae relatore superius memorato, una cum dilectis filiis Petro Minetti S. Fidei Promotore, Dominico Bartolini eiusdem sacrae Congregationis a secretis, necnon ceteris de more adstantibus, ediximus, *tuto procedi posse ad solemnem B. Petri De Arbues Canonizationem.*

§. 12. Ad servandam autem in gravissimo hoc negotio a praedecessoribus nostris praescriptam agendi rationem, universos S. R. E. Cardinales in consistorio habitu III Nonas Iunii sententiam rogaturi, coram Nobis convocabimus, qui B. Petri gestis a dilecto filio Francisco Morsilli Nostrae consistorialis Aulae Advocato auditis, Nos ad legitimam

Causae huius absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus deinde litteris a Nostra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores episcopi, sed remotissimi quoque Americae ceterique qui orientales plagas incolunt, atque cum sancta Apostolica sede communionem habent, de hac re commonerentur, seque ad urbem conferrent, ut Nobis de solemni hac Beati Viri canonizatione aliorumque viginti quinque beatorum, quos illi sociavimus consilia suppeditarent, quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant in publico consistorio, uti diximus, coram Nobis coacto tertio Nonas Iunii, tum ex monumentis a sacra Rituum Congregatione, quorum exemplar unicuique tradi voluimus, in semipublicum consistorium coram Nobis coactum convene- runt pridie Idus eiusdem mensis. Non modo Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi omnes in eamdem sententiam unanimes conspirarunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta in tabularium S. R. E. re- lata sunt.

§. 13. Ad solemnem hanc canonizationem celebrandam, decrevimus diem III Kal. Iulii anni MDCCCLXVII saecularem faustissimi illius diei, quo Apostolorum Principes in hac ipsa urbe martyrii palmam receperunt, fidemque ab ipsomet Christo receptam suo sanguine confirmantes illustrarunt. Neque enim putavimus, hanc solemnem memoriam splendidius posse celebrari, quam tot no-

vensilium Sanctorum aucta pompa atque laetitia. Indictis interea ieuniis, statutisque Ecclesiis ad sacras indulgentias lucrandas, omnes christifideles hortati sumus, ut precibus et obsecrationibus instantes caelestem Nobis opem in tanta re implorare non desisterent.

§. 14. Ubi faustissima et exoptata dies advenit, omnes tum saecularis tum regularis Cleri ordines, singuli romanae curiae praesules et officiales, cuncti denique Venenerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi ad numerum quadringentorum et ultra in Vaticanam Basilicam convenerunt, sponsae ritu mirifice ornatam, quam ipsis praeeuntibus solemnissimae supplicatione ingressi sumus. Tunc Venerabilis Frater Noster Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Ioanne Baptista De Dominicis Tosti sacrae consistorialis Aulae Nostrae Advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum, ut B. Petrum cum viginti quinque aliis Beatis in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio superius memoratus Cardinalis, et Nostrae consistorialis aulae Advocatus Nos obsecrassent, ut tandem aliquando Nostram aperiremus sententiam, primum universae caelestis Aulae praesidio, dein divini Spiritus copioso lumine implorato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Catholicae Fidei et Christianae Religionis incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura-

deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata , ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praeditum Beatum Petrum De Arbues Canonicum Regularem Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae Sanctum esse decrevimus , definivimus , ac inter Sanetos Christi Martyres accensuimus. Cui addidimus et pariter in Sanctorum albo adscripsimus Beatos Iosaphat Kuncewicium Archiepiscopum Polocensem Ruthenici Ritus Ordinis S. Basilii Magni; Nicolaum Pichium Fratrem Franciscalem eiusque decem et octo socios Gorcomienses appellatos , omnes Martyres; B. Paulum Fundatorem Clericorum excalceatorum a cruce et passione Domini Nostri Iesu Christi; B. Leonardum a Portu Mauritio Missionarium Apostolicum Minorum S. Francisci strictioris observantiae , in recessu S. Bonaventurae de Urbe Confessores; atque Beatas Virgines Mariam Franciscam a vulneribus Domini Nostri Iesu Christi tertiariam professam ordinis Minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neapolitana, et Germanam Cousin ex oppido Pibrac Tolosanae dioecesis; virtutibus, Christi imitatione, et prodigiis oranes spectandos.

§. 15. Eiusdem S. Petri De Arbues memoriam quotannis die decima septima Septembris celebrandam iussimus, atque omnibus christifidelibus, qui eius sepulcrum venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in Domino perpetuo elargiti sumus. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo relatis, Sacrum solemniter litavi-

mus, laetitiamque cordis Nostri promere cupientes peracta S. Evangelii lectione universum eorum confertamque populi multitudinem cohortati sumus, ut novensiles Christi Martyres, Confessores et virgines venerarentur, imitarentur, ipsosque enixe precarentur, ut in hisce potissimum ecclesiae calamitatibus potentes apud Deum adiutores experiamur. Plenariam denique indulgentiam peramanter impertiti, apostolicas hasce litteras manu Nostra ac omnium S. R. E. Cardinalium signatas sigilloque Nostro munitas expediri mandavimus.

§. 16. Sancti Petri fortitudo, nostra redargutio est. Ipse ut Christum coram omnibus confiteretur mortem ipsam oppetiit, ac sanguinem fudit. Quidquid habuit dedit, nihil sibi reliquit, cum vita praeliotam acri cessit. Si corporeis oculis intueamur, victus cecidit, sed aliter coram Deo pensanda res est. Non ista quam vivimus, sed futura, vera vita est, atque ad illam omnes cogitationes oculosque convertere debemus. Beatissimus itaque martyr Petrus non minor sed maior fuit in certamine. Athleta Christi forti clypeo armatus insidias, blandimenta superavit, acerrimum hostem vicit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Fremat mundus, populi meditentur inania, principes adversus nos convenient in unum, falsis arguant criminibus, custodiis intolerabilibus includant, urant, bestiis subiificant, si Deus pro nobis, quis contra nos? Saevire, quam bene Augustinus, saevire possunt, calumniare possunt, falsis opprobriis agitare possunt, atque ut omnia dicamus corpora perimere, dilata-

niare, in pulverem redigere possunt. Quid agent? Quis ut Deus? Si ipse adiutor, si susceptor noster est, si restitutor corporis nostri ille est, qui ne capillos quidem capitis nostri perire faciet, cur pertimescemos? Timeamus ergo eum, qui post mortem potest nos mittere in gehennam, illosque contemnamus, qui catholicae fidei osores Sedisque Apostolicae hostes, dum contra nos saeviunt aeternas sibi poenas, immarcescibilem nobis coronam aeternamque vitam parant. Utinam omnes homines hanc intelligerent veritatem! quod ut eveniat, Deum Optimum Maximum deprecari minime desistamus.

§. 17. Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§. 18. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere vel temerario ausu contraire voluerit aut attentare praesumpserit indignationem Omnipotenti Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

152

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii  
anno Incarnationis Dominicae millesimo octingenten-  
tesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

☩ Ego PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



- ✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veltornus,  
card. Sacri Collegii decanus Mattei , Pro-  
Datarius.
- ✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Ru-  
finae card. Patrizi.
- ✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat,  
Vice-Cancellarius.
- ✠
- ✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de  
Alteriis, S. R. E. Camerarius.
- ✠ Ego Nicolaus card. episcopus Tusculanus Claveri-  
elli Paracciani, Brevium a Secretis.
- ✠ Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Ther-  
mas proto-presbyter card. De Angelis , ar-  
chiepiscopus Firmanus.
- ✠
- ✠ Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter  
cardinalis Vannicelli Casoni, archiepiscopus  
Ferrariensis.
- ✠
- ✠ Ego Cosmas tituli sanctorum Ioannis et Pauli  
presbyter card. Corsi, archiepiscopus Pisanus.
- ✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte  
Coelio, presbyter card. Asquini.
- ✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum  
ad thermas presbyter card. Carafa de Tra-  
iecto, archiepiscopus Beneventanus.
- ✠ Ego Xystus tituli sanctae Sabinae presbyter  
card. Riario-Sforza , archiepiscopus Neapo-  
litanus.
- ✠ Ego Iacobus Maria Hadr. Caesareus tituli sancti

Silvestri in capite presbyter card. Mathieu,  
archiepiscopus Bisuntinus.



¶ Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae  
in Via presbyter card. Donnet, archiepisco-  
pus Burdigalensis.



¶ Ego Camillus tituli sancti Ioannis ante portam  
latinam presbyter card. De Petro.

¶ Ego Ioachim tituli sancti Chrysogoni presbyter  
card. Pecci, archiep. episcopus Perusinus.



¶ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae  
Trans-Tiberim presbyter card. De Reisach.



¶ Ego Alexander tituli sanctae Susannae , pre-  
sbyter card. Barnabò.



¶ Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Sil-  
vestri et Martini presbyter card. Antonucci ar-  
chiep. episcopus Anconitanus et Humanus.



¶ Ego Ioseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli ,  
presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, Abbas  
sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas  
Salvias.

¶ Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter card.  
De Silvestri.



¶ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo ,  
presbyter card. Saccioni.

- ✠ Ego Michael tituli sanctae Priscae presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- ✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreeae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- ✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco , Poenitentiarius maior.
- ✠ Ego Ioseph Aloisiūs tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato Patriarcha Venetiar.
- ✠ Ego Antoninus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- ✠ Ego Ioseph Andreas tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter card. Bizzarri.
- ✠ Ego Ludovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- ✠ Ego Io. Baptista tituli sancti Callisti presbyter card. Pitra.
- ✠ Ego Fr. Philippus Maria tituli sancti Xysti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiensis.
- ✠ Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De Bonnechose, archiepisc. Rothomagen.
- ✠ Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen, archiepisc. Dublinen.
- ✠ Ego Gustavus tituli sanctae Mariae in Transpontina presbyter card. De Hohenlohe.
- ✠ Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Paneperna presbyter card. Bilio.

- ✠ Ego Ioseph sanctae Mariae in Via Lata card.  
Proto-Diaconus Ugolini.
- ✠ Ego Ioseph sancti Caesarei card. diaconus Bonfondi.
- ✠ Ego Iacobus sanctae Agathae ad Suburram  
card. diaconus Antonelli.
- ✠ Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card.  
diaconus Roberti.
- ✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- ✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card.  
diaconus Grassellini.
- ✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.
- ✠ Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card.  
diaconus Pentini.
- ✠ Ego Dominicus sanctae Mariae in Domniea card.  
diaconus Consolini.

M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Paracciani.

Loco ✠ Plumbi.

Visa De Curia  
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

## LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE SANCTORVM XIX MARTYRVM GORCOMIENSIVM

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1. Splendidum Christianae religionis argumentum innumerabilis est illa Martyrum seu testium multitudo, qui pro Christo eiusque religione, non modo minas, honorum iacturam, exilia, vincula, sed vel animae prodigi, mortem ipsam pertulerunt. Tam sublime ac speciosum Ecclesiae Christi ornamentum et decus, incassum haeretici et increduli homines obscurare satagunt, cum ipsi tanquam martyres venditent, qui haud sane multi, et fanatico aestu in suis tuendis erroribus abrepti, vel inanis plerumque gloriae cupidine moti misere vitam dederunt; aut quia, ceu etiam accidit, absque optione iusto supplicio graviorum criminum rei damnati sunt; de quibus dici potest; quod Augustinus de pseudo-martyribus Donatistis aiebat: *vivunt ut latrones, moriuntur ut circanectiones, honorantur ut martyres.* At iure optimo sancta mater Ecclesia de innumeris gloriatur, qui cuiuscunque conditionis,

aetatis ac sexus, in toto, qua patet, terrarum orbe, spretis, quae proponebantur, divitiis, voluptatibus, honoribus, dignitatibus, ad christianaे doctrinae testimonium inter exquisita supplicia mortem opere haud veriti sunt. Nec unquam in Ecclesia defuerunt, huiusmodi fidei, ac religionis adsertores. Iugem enim ac perpetuam persecutionem veluti haereditatem, ut ita loquamur, fore suae Ecclesiae Christus eius conditor diserte testatus est, et Evangelii testes omnibus vexationibus subiiciendos non semel praedixit; quibus tamen suam adsistentiam et indubiam de inimicis victoriam pollicitus est. Nostra etiam aetate (quis ignorat?) vaferimi et nequissimi homines per universum terrarum orbem infensissimum Catholicae Ecclesiae bellum intenterunt; et inconsutilem Christi vestem dilacerare, fideles a religione dimovere, Pontificem Maximum eiusque auctoritatem infando ausa perfringere conantur. Quot nefariis artibus, quibus fraudibus utantur, ut incautos decipient, ac in suam sententiam adducant, auribus omnes excipimus, oculisque spectamus. In tanta temporum calamitate Nostri muneric ducimus commissas Nobis Christi oves contra impiorum insidias praemunire, in fide confirmare atque erigere, ne tanto in quo versantur periculo animo decidant, sed omnes strenue adversus diaconi eiusque administratorum nequitiam totis viribus militent, atque decertent. Quod ut assequamur, maxime conferre censuimus haud valde remotum ob oculos exhibere exemplum fortissimorum Christi militum, qui Deo magis quam hominibus placere cupientes, pro Catholica Fide atque Romana hac

Petri Cathedra , supra quam Christus Ecclesiam suam tanquam supra firmam Petram aedificavit, animam ipsam effundere non dubitarunt. Hi sunt Martyres Gorcomienses , quos hodierna die natali Principum Apostolorum sacra, ingenti animi Nostri laetitia, universaeque Ecclesiae plausu Sanctorum catalogo solemni pompa accensentes, omnium fidelium venerationi ac imitationi proposuimus.

§. 2. Anno a partu Virginis MDLXXII Calvinianae praesertim haeresis sectatores in Hollandicis et Belgicis regionibus , seditione facta ut Hispanici Gubernii iugum excuterent , catholicos acerbissime insectati sunt. Agmine facto , quod in dies viribus augebatur, Brilam, Flissingam, Enchusiam maritima oppida eorum conatibus valde opportuna adorti sunt ; Alcmariam quoque et Dordracum insignem Hollandiae civitatem defectione concitatae multitudinis non multo post occuparunt. Ab ea urbe, itinere haud longo abest Gorcomium (*Gorinheim*) oppidum non satis quidem amplum, sed numero civium frequens atque mercatoribus peropportunum ; situm est enim in ripa Mosae, fluminis ad navigandum percommodi. Ubi nuntiatum est, Calvinianos Dordracum fuisse potitos, Gorcomienses omnes graviter pavere coeperunt, qui praesertim vel virtutum studio enitebant, vel sacris erant mancipati, vel religiosam vitam profitebantur. Neminem enim latebat , qualis hostis immineret, cuius ingenii cuiusque crudelitatis specimina recenter praebuisset , quomodo in monachos sacrasque virgines saeviisset. Quare Gorcomienses gravissima sibi mala ex tam prospero rerum Cal-

vinistarum successu procul dubio adventura metuebant.

§. 3. In ea erat civitate coenobium Fratrum Minorum sub regula S. Francisci, non tam amplitudine, quam severioris disciplinae observantia commendatum; cuius contubernales, adveniente hoste, maximo in periculo versari cognoverunt. Scelesti enim homines nil magis in votis habebant, quam catholicam religionem funditus evellere; qua de re nihil sceleris aut crudelitatis maxime in ecclesiasticos viros intentatum relinquebant. Coenobio praeerat Fr. Nicolaus Pichius, honestis piisque parentibus Gorcomii natus, integritate vitae, regulari observantia, doctrina et animi fortitudine conspicuus; cuius studium ac zelus pro domo Dei integro persecutionis tempore eluxit. Ad hunc ventitabat quidam ex sorore nepos, pius adolescens fervensque catholicus, qua de re avunculus eum impense diligebat, erantque invicem de propria incolumitate solliciti. Hic avunculo referebat quae de Calvinistarum saevitie, eorumque adversus catholicos sceleribus nuntiabantur; quorum alii horrendis cruciabantur suppliciis, alii pessime mulctabantur, alii impie necabantur; virgines quoque Deo sacre effraena atque incesta libidine polluebantur. Iste uero modi sermonibus, amantissimus nepos avunculum hortabatur ad fugam capessendam, idque eo magis urgebat, quo felicius hostium conatus procedere audiebat. At Nicolaus nepotis benevolentiam admirans, respondebat, nunquam fore ut fratres suos in tanto discrimine desereret, quamvis mille mortes sibi intentarentur;

addens, se minime fugae daturum, ne cives abiectis animis urbem hostibus traderent. Nulla interim Nicolans officii sui munera deserens, sodalibus et civibus in fide confirmandis ac erigendis sedulam operam impendebat.

§. 4. Cum hostes accepissent, Gorcomienses auxiliū a catholicis expectare, alacriores ipsis tredecim naves Dordracum miserunt cum militibus fere centum et quinquaginta; quas cum die XXIV Iunii, octava ante meridiem hora per flumen velificantes, e summitate arcis Gorcomienses prospexit, omnium matus maxime auctus fuit, praecipue illorum, qui vel sacri ordinis vel religiosae professionis causa haereticorum invidiam animosque in se magis concitabant. Tum Nicolaus ne Deum tentaret vel officio suo deesset, brevi servidaque fratribus hortatione habita, illis abeundi facultatem fecit, quo tutius vitae consulere posse ipsis videretur; addens, se cum nonnullis qui idem sentiebant in coenobio permanere constituisse. Cum etiam sacerdarum virginum cura demandata illi esset, e monasterio egressas ad notos propinquosque suos catholicos divertere permisit, quo magis earum incolumenti et pudicitiae prospiceretur.

§. 5. Falsa interim fama in vulgus ex industria diffusa est, Dordraci, Alcmariae, aliisque in oppidis, quae in hostium potestatem venerant, quaecumque ad religionem pertinuerent integra atque inviolata permansisse, monachorum et ecclesiasticorum neminem laesum, quemque civium catholicam religionem liberrime profiteri, denique quam quisque sequi vellet fidem in sua potestate

habere; prout etiam in omnibus locis factum fuerat iamdiu a Calvinianis occupatis. Addebat, nullam esse annonae caritatem, aere alieno neminem amplius gravari, facili pretio obsonia divendi: iisque artibus utebantur, quibus subdolis et seditiosis hominibus uti mos est. Prudentiores autem his rumoribus aures minime adhibebant; apprime agnoscentes haec omnia in vulgus spargi ad plebeculam fallendam; fama enim veracior, multum ab iis diversa nunciabat. Accidit etiam, ut quidam Franciscalis Alcmaria aufugiens Gorcomium adveniens, tanquam oculatus testis de horribilibus flagitiis et crudelitatibus quae ibi a Calvinianis patabantur, narrationem fecerit, quae magis magisque sodalium Gorcomiensium animos perturbavit.

§. 6. Postero die, nempe XXVI Iunii periculum auctum est. Hostis enim iam urbi imminebat, tam superiori quam inferiori fluminis parte occupata. Tum Franciscales domui praepositum adeunt, qui magno dolore percitus, forti tamen ac firmo animo esse omnes hortatur; iterumque illis abeundi, si lubeat, potestatem facit. Interim mandat, universam librorum supellectilem, sacras vestes, calices, aliaque divini cultus ornamenta in arcem deferri, ubi in tuto putabat, donee promissa a catholicis auxilia advenirent. Clausis urbis ianuis, cives in arcem configerunt, quibus etiam Fratres Franciscales sese addiderunt. Hi erant Fr. Hieronymus eiusdem coenobii Vicarius Werdæ ortus, propterea dictus Werdanus, monasticae disciplinae observantia, et salutis animarum studio, maxime commendatus, qui Palaestinam pedibus Christi Servatoris

calcatam pietatis ratione lustraverat: Theodoricus Emdenus Amerfortiae Ultraiectinae ditionis non in celebri oppido natus, Seraphici Patris imitator studiosissimus; sacris virginibus praeverat monasterii ad S. Agnetis apud Gorcomienses, quo munere sedulo sancteque fungebatur: Fr. Nicasius Hezius a pago qui eum nascentem exceperat ita appellatus, praeclarum evangelicae perfectionis exemplar; sacras litteras ita callebat, ut magnam earum partem memoria teneret, in consiliis dandis ac miseris solandis studiosissimus: Fr. Willehadus nonagenarius, aut illi aetati certe proximus, statura procerus, ob poenitentiae studium vultu atque corpore adeo macilentus, ut pelle tantum atque ossibus constare videretur. In Daniae regno natus atque institutus, regulam S. Francisci professus, persecutionem catholicae fidei ibi ortam declinans, in proximam Hollandiam se recepit, ubi martyrii coronam non amissam sed dilatam invenit; simplicitate morum, vitae puritate, linguae custodia eminebat, in Poenitentiae atque Eucharistiae administrandis sacramentis assiduus: Fr. Godefridus Mervellanus sacratae supellectilis custos, qui totus in confessionibus excipiebat, quidquid otii supererat, in imprimendis ac pingendis Christi et Sanctorum imaginibus impendebat, quas piis hominibus distribuebat: Fr. Antonius Werdanus, qui communem cum Hieronymo habuit patriam; simplex ac fidelis verbi Dei concionator saepe vicatim indefesso labore vitae aeternae verba disseminabat, temporalia etiam porrigena subsidia; vitae asperitatem hilaritate vultus mira dissimulabat: Fr. An-

tonius Hornariensis, a vico ita appellatus, in quo lucem aspicerat; parentibus quidem rudibus et pauperibus, sed iustitiae non minus quam avitae religionis cultoribus tenacissimis. Sacris concionibus sedulam in ecclesia dans operam, ea quae docebat, exemplo confirmabat: Fr. Franciscus Rodius Bruxellensis vix sacerdotio initiatus florenti aetate Martyrii coronam obtinere meruit; biennio fere ante mortem sacris litteris se totum addixerat, ut concionandi munus ad plebem felicius obiret: Fr. Petrus ab Asca non incelebri Brabantiae oppido Ascanus propterea dictus, laicus, in Seraphici Patris familia cooptatus temporalium rerum procurationi addictus, perutilem fratribus suis operam praestabat: Fr. Cornelius Wicanus, ita appellatus quod in oppidulo Wica natus est, laicus et iste a familiaribus negotiis, vir bonus simplex atque ad obediendum paratissimus. Quamvis Fr. Nicolaus in coenobio permanere optasset, muneris tamen sui esse duxit sodalibus qui in arcem convenerant non deesse; quare et ipse sodalibus suis sese adiunxit.

§. 7. Erant in ea civitate duo presbyteri Leonardus Vecchelius Busciducis illustri Brabantiae civitate, doctrinae laude in Academia Lovaniensi excellens, qui Gorcomium ad paroeciam administrandam vocatus, ita dominicum gregem pascebat, ut caritate, zelo, humilitate, castitate ceterisque virtutibus mirum in modum praefulgeret; et Nicolaus Poppellius Welda Campiniae vico ortus, alter Gorcomiensium parochus, qui cum iisdem, quibus Vecchelius praefulgeret virtutibus, praecepue in fidei rudimentis pueris tradendis eminebat,

quod munus diebus festis mira patientia atque sedulitate exercebat; in obeundis insuper pro Christo laboribus, adeo assiduus et impiger erat, ut omnium servulus vulgo appellaretur. Qui ambo cum apud populum admodum auctoritate valerent, quamdiu res stetit toti fuerunt in confirmandis atque excitandis civium animis ad civitatem ac religionem tuendam. At eorum opera parum profuit, nec a civibus auditi fuerunt, utpote qui fidem Calvinianorum promissis adhibebant, una cum libertate catholicam religionem incolumem et integrum futuram. Igitur moerentes, quod sua spernerentur consilia, in arcem in qua iam nonnullis noctibus degerant, et ipsi se receperunt.

§. 8. Porro qui in arce erant, cum animadverterent, omnia quae ad eius defensionem opus erant, ipsumque chiromedicum deesse, plerique diffidere coeperunt, unamque spem in subsidio a suis expectato habebant: quae tamen spes illos fefellit. Interim hostes ad arcis praefecti voluntatem explorandam, quemdam laicum ex fratribus Franciscalibus, qui ad monasterii custodiam remanserat cum litteris miserunt, quibus pollicebantur, praefecti dignitatem atque officium incolume futurum, si in arcem praesidium reciperet Principis Orangii; ceteris item qui in arce erant vita incolmis, bona omnia salva, et liber ex arce discessus promittuntur. Conditionibus reiectis, Calviniani furentes, quae ad arcem expugnandam opportuna videbantur illico parant, atque adveniente iam vespera magnis viribus copta est oppugnatio, non minus strenue obsessis resistantibus, quamvis militum

copia atque artis bellicae peritia valde impares essent. Adversarii feliores cum arcis extimam portam pervasissent, eamque flammis dedisset, cives in alteram arcis regionem se recipere compulsi sunt; sed cum hostes validiores essent, totamque arcem bellicis tormentis funditus concuterent, quae in flammis posita propemodum ardere videbatur, omnium utriusque sexus precibus cum adversariis de arcis deditione agi coepit, capitibus omnibusque bonis salvis. Calviniani initio abnuerunt; sed deinde omnes tam ecclesiasticos quam laicos nemine excepto servaturos promiserunt; quo pacto arcis deditio facta est.

§. 9. Tum Nicolaus coenobii praepositus, omnesque eius sodales religiosam vestem induerunt, quam dimiserant, ne a Calvinianis cogniti in maiori discrimine versarentur. Probe autem agnoscentes hostium fidem, invicem cooperunt christiano more peccata sua confiteri. Calviniani victores ingressi, captivos omnes in atrio consistere iubent, eorumque nomina singulatim calamo signabant. Nicolaus vero eiusque sodales ab aliis seiuncti in quodam conclavi includuntur. Cum quidam Gorcomiensis, qui Calvinianis favebat, a Nicolao insigne accepisset beneficium, grati animi causa ad eius libertatem procurandam sese obtulit. Cui respondit, nunquam futurum ut fratres desereret, sed cum ipsis mori et vivere statuisse, nec sui optare liberationem donec vel unum non liberum videret; inde ad fratres conversus; *Eia, inquit, fratres mei viriliter agite, confortetur cor vestrum et sperate in Domino.* Quotquot autem in atrio captivi steterant tam laici

quam ecclesiastici omnem libertatis spem animo abiecerunt, ubi contra<sup>r</sup> data<sup>m</sup> fidem in vincula coniecti sunt. At cum laicus quidam de minime servata fide clamare coepisset, tantus fuit omnium, ac foeminarum praesertim fletus et clamor, ut cunctis abeundi venia tandem aliquando data sit, monachis et ecclesiasticis solum exceptis. Dimissis laicis, Nicolaus cum suis omnibus e conclavi eductus, in teterimum ac foetidum subterraneum carcerem detruditur, in quem iam antea duo memorati parochi cum tribus aliis sacerdotibus coniecti fuerant. Hierant Fr. Ioannes parochus Hornariensis ex familia S. Dominici provinciae Coloniensis, qui cum clerus Gorcomiensis in arce captivus teneretur e sua paroecia. Gorcomium accurrens operam in administrandis sacramentis dederat; et Hornaria repente pueruli baptizandi gratia Gorcomium advocatus, a Calvinianis fuerat in itinere deprehensus: Fr. Ioannes ab Osterwica Brabantiae vico Osterwicanus appellatus, sodalis Ruggensis coenobii Canonicorum Regularium S. Augustini, a moderatoribus suis Gorcomium missus monasterio sanctimonialium eiusdem instituti praeerat, ac in monastica observantia et virtutum exercitio omnibus erat exemplo: et Godefridus cognomento Dunaeus Gorcomiensis, qui Lutetiis Parisiorum linguis et sacris litteris sedulam operam dederat; et sacerdotio initiatus paroeciam in quodam Galliarum oppido Belgio finitimo administraverat; quo munere dimisso in patriam reversus pientissimam agebat vitam proximorum saluti penitus addictus. Qui omnes Fratribus Franciscalibus socii in passione fuerunt.

§. 10. Incredibile dictu est, quam durum Christi confessores in eo carcere sustinuerint certamen. Impii enim Satanae administri, arcis praesidiarii milites, post coenam cibo saturi, vinoque temulenti, ut lusibus iocisque animum exhilararent, carcerem ingrediuntur, captivos verberibus, pugnis, et calcibus excipiunt, huc illuc trahunt, et diris quibusque modis adoriuntur, nullumque contumeliarum et crudelitatis genus praetermittunt. Cum ab aliquibus persuasum ipsis fuisse, magnam pecuniae vim a catholicis in arcem delatam fuisse, nil nequissimi homines ut ea potirentur, intentatum reliquerunt. Acerbissime singulos divexant, praesertim iuniorem civitatis parochum Nicolaum Poppellum, in quem infensori erant animo, quod in suis ad populum concionibus aerius haereticos fuisse insectatus. Itaque parvam igneam ballistam eius ori apponunt, explosuri ni absconditos proderet thesauros, et catholicae orthodoxae fidei validiceret. Parochus praesenti periculo minime teritus, constanter respondebat, se libentius velle mori, quam a catholica fide deficere, quae docet Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse realiter sub speciebus panis et vini in venerabili Eucharistiae sacramento; putans revera sibi mortem imminere magna voce clamavit: *in manus tuas Domine commendō spiritum meum.* At miles, qui igneam ballistam ori eius adversam continuo tenebat, ictum explodere minime ausus est. Qui vero scelesti homines ibidem aderant, parochi fortitudine vehementer irritati, aliam divexandi viam tentarunt. Cinctorum funem cuidam ex Franciscan-

libus fratribus detrahunt ; altera eius extremitate Poppellii collum stringunt, alteram carceris ianuae superimponunt, eoque constantissimi Martyris corpus sursum deorsumque invicem attollunt ac deiiciunt; in quo tormenti genere parum abfuit, quin animam efflaret. Paullo post , Deo favente , convaluit ; at obstricti funis circa collum notas ad mortem usque retinuit.

§. 11. Altera nocte efferati milites pariter temulenti, iterum in carcerem irruunt una cum quodam Frisio cohortis duce, qui Martyribus illudens, iubet omnes ordine buccas inflare; tum incipiens a quodam Franciscali atque deinde ad singulos progressus, binas aut ternas alapas in utramque maxillam tanta vi impegit, ut sanguis ex oculis, naribus, dentibusque effluxerit, eorumque genae deformiter intumuerint. Inde absconditum thesaurum requirunt; cumque sibi suasissent, coenobii Praefectum haud latere posse ubi asservaretur, pugionem pectori admovent Hieronymo Vicario, ipsum Praefectum putantes ; qui tamen tacere maluit, quam suum Praepositum prodere. At Nicolaus suorum qui erat amantissimus pater, haud passus est, in tantum discrimen suum Vicarium adduci, palamque se coenobii Praefectum professus est. Nec mora ; eum milites adorientes, primum horrendis instant vocibus, mox additis verberibus, totum eius corpus dilacerant, ille vero mira patientia ac fortitudine haec omnia perfserens , solum blande respondebat dumtaxat calices , sacrasque supellectiles , ut iam sciebant , suis in arce positas , pecuniam vero ipsos nec habuisse nec habere posse, qui priorum

stipe semper vivere consueverunt. Quo responso, illum milites immaniter ad carceris ostium suspendendum trahunt; funem, quo erat praecinetus, collo alligant, super ostium protendunt, et interim pendentis corpus modo demittitur modo iterum attracto fune attollitur; sed cum non satis firme funem ligassent, Nicolaus repente provolutus capite declivi decidit, nullum exhibens vitae indicium. Tum milites quo rem explorarent, iacentem paululum erigunt, sedentis more componunt dorso ad parietem applicato, admotisque cereis ardentibus frontem, genas, aures, mentum, nasum, et linguam ipsam ac palatum ardenti candela per os violenter apertum immissa comburunt; quo factum est ut gustu deinceps penitus caruerit. Nec satis facie turpiter deformata, superciliis et palpebris detractis corpus pedibus repulsum atque proiectum relinquunt, illumque mortuum autumantes, impii sicarii gaudio gestientes atque illudentes abierunt. Militibus digressis, beatus Martyr magna sociorum admiratione, qui etiam illum mortuum putabant, paullatim recreatus loquendi usum recepit. Interrogatus quanta passus esset, respondit, se deliquio laborasse, neque de iis quae sibi obvenerant conscientiam habuisse: *atque utinam, subdit, Domino visum fuisset animam hanc corporis vinculis exsolvere atque ad se in caelum recipere.* Primo diluculo, quidam ex militibus veniunt ad carcerem securim co consilio afferentes, ut Nicolai corpus, quem mortuum putabant membratim divisum publice ianuis urbis affigerent. Cum adhuc viventem conspexissent, primo mirari, mox indignis modis illum

vexare coeperunt; pedibus humi sedentem impellunt, et clamantes; *vivit monachus?* *vivit adhuc?* ventrem et latera calcibus immaniter caedunt.

§. 12. Eadem die milites ad monachos sacerdotes, quos ceteris venerabiliores senectus efficiebat, accedentes, quo Ecclesiae sacramentis illudarent, quasi sacram exomologesim facturi, flexis genibus verba in eorum aures insussurabant; ludoque in apertam saevitiem converso senibus illis faciem et caput colaphis contundebant. Willehadus Damus vir ut diximus ferme nonagenarius ad singula verbera repetebat, *Deo gratias*. Idem venerabilis Pater ab alio milite, mimicam illam confessionem simulante interrogatus, quid ad ea quae confitebatur responderet inquit: *Ego pro te Dominum meum orabo:* qua responsione Calvinianus ira percitus tune, ait *pro me orabis?* et continuo flagris et verberibus venerabilem senem durissime obtundebat semper clamantem: *Deo gratias*.

§. 13. Dum haec agerentur, Marinus Brantius militum dux Leonardo Vecchelio permisit, ut de carcere exiens ad patibulum duos cives Gorcomienses catholicos comitaretur extremo suppicio mulctandos; quo munere expleto, iterum in carcerem traducendus erat, sed omnibus civibus, qui maximo eius desiderio tenebantur, instanter conclamatibus, in curiam deducitur, ubi a Marino atque Senatu potestas illi data est intra civitatem commorandi, ea tamen lege ne ab ea sine itineris syngrapha discederet; praeterea Sacrum facere ei in posterum interdicentes, iusserunt eum purum et sincerum, ut ipsi aiebant, Dei verbum populo

praedicare. Proxime aderat festivitas Visitationis Beatae Mariae semper Virginis, quo die ipsi mandatum est, ut concionem publice ad populum haberet.

§. 14. In pervigilio huius festi, quidam e milibus, rursus e coena saturi atque ebrii, assueta improhibitatem in carcerem irrumpentes novum petulantiae ludum hoc modo exhibit. Consertis brachiis dextero unius cum sinistro alterius monachos colligant, et e carcere eductos veluti ad supplicationem canentes incedere iubent, hoc modo velle inquietes, ut ad mortem adducantur. Ipsi putantes revera ad supplieum duci libenter ac laetantes canticum illud praecinere coeperunt cuius initium *Te Deum laudamus*. Hac pompa ad arcis propugnaculum perducuntur, ubi lautissimam mensam inveniunt assidentibus atque hilariter compotantibus nonnullis militibus genialem ac laetam illam noctem agentibus. Nec satis; ut ex eorum angustiis voluptatem caperent, porrectis aleis et apposita pelvi lusoria, iubent proiicere sortes in pelvem, ut in quem ceciderint laqueo suspendatur. Quibus Fr. Nicolaus respondit, iactu aleae opus non esse, omnes quidem et se primum omnium ad mortem esse paratissimos. Ita exhilaratis convivis, eadem via in vincula reducti fuere.

§. 15. Illuxit dies Visitationi Deiparae Virginis sacer ac plebi acceptissimus. Leonardus concionatus, in aede parochiali magnum templum vulgo appellata, suggestum conscendit. Frequens erat auditorum multitudo, pluresque Calvinianae factionis advenerant, purum et sincerum, ut ipsi aiebant,

evangelium audituri. At Vecchelius eodem modo sermonem habuit, quo semper concionatus fuerat; beatam Mariam Virginem Dei Matrem caelique Reginam identidem appellavit, perpetuam eius virginitatem contra veteres recentioresque haereticorum errores docte luculenterque ostendit; firmiores in sana Ecclesiae doctrina roboravit; et siqua illorum in animis dubitatio persisteret, eos ad se ut pleniorum catholicae veritatis declarationem acciperent, humanissime invitavit; finemque his verbis suae concioni imposuit; *Durate vos, obsecro, fortes atque ingenui cives, durate et constantes in catholica fide permanete.* Quae postrema verba haeretici acerbissime tulerunt, quoniam aliter post datam fidem atque toleratos cruciatus parochum alloquuturum putabant. Itaque causam quaerebant, ut in carcerem ductus una cum aliis captivis morti tradetur; neque tardius huiusmodi eis occasio occurrit. Vecchelii enim amantissima soror Buscoducis, quae utrique patria erat, Gorcomium ea die advenerat fratri nuntians matrem graviter aegrotare, eiusque nomine instanter illum rogabat ut ad ipsam vi-sendam statim accurreret. Leonardus accepta a Marino commeatus syngrapha ab ipsomet obsignata, sorore comitante, secundo flumine oppidulum haud distans petit. Calvinianae factionis sectatores in vulgus spargunt, parochum fugam arripuisse, ut hostiles copias secum Gorcomium adducat captivis libertatem, et extremum civitati exitium allaturus. Ingens multitudo ad ripam coeunt, ubi quidam de Senatoribus naviculariis imperat, ut adhibitis quoque militibus parochum illico arripiant. Emenso

celeriter flumine Leonardum cum sorore inveniunt currum expectantes quo Buscumducis vehantur. Furentes contumeliis omnibus illum afficiunt, mendacem appellant, proditionis redarguunt. Frustra parochus clamat, se minime clanculum aufugisse, a primario tam arcis quam civitatis praefecto Marino Brantio facultatem abeundi accepisse; eoque temporis libellum eiusdem Brantii manu obsignatum ostendit, quem alter ex factiosis per vim arripuit, ne integerius parochus contra calumnias quid ad sui defensionem argumenti haberet. Nautis, militibusque adversus Dei servum impia clamantibus, Gorcomium advehitur, ubi frequentissima expectantium multitudo clamoribus, contumeliis et ictibus illum ferociter excipiebat.

§. 16. In eundem monachorum carcerem iterum detruditur. Cum extremum illis pararetur supplicium, plures non defuere et praesertim chirurgus, qui uni vel alteri ex monachis et praecipue Nicolao Pichio suaderent, ut propinquorum et amicorum opera se a morte redimerent, quod fortissimi Christi milites renuerunt omnino. Interea nonnulli ex Senatus consulto litteras miserunt ad Principem Orangium cum precibus, ut suam auctoritatem penes arcis praefectum interponeret, cuius vi singuli captivi, uti pactum fuerat, liberi et incolumes dimitterentur. Calviniani vaferimi ad captivorum necem accelerandam, Brilam ad Comitem Lumnium De Marca virum saevissimum et catholicorum sanguinem sitientem nuntios miserunt, ut ipse priusquam ab Orangio responsum daretur, eorum caedem decerneret. Potentia Co-

mitis Lumnii iam adeo creverat, ut si quid imperaret, periculosum esset non parere. Collatis itaque consiliis, cum nondum Orangius in Hollandiam advenisset, misit Lumnius Gorcomium quemdam Omalium eiusdem furfuris hominem, mandans ut quotquot ibi sacerdotes et monachos in vinculis reperisset, omni spe veniae ablata aut illico necaret, aut Brilam ad supplicium adduceret.

§. 17. Itaque nocte, sextam Iulii diem praecedente, Calviniani beatos Martyres tunicis et palliis expoliant, vix relictis, quibus nuda corpora tegantur. Sub medium noctem per flumen Mosam eo perducuntur ubi Mosa appellari solet Merveda, tunc in cymba quadam collocantur ex conchis quas vehebat graviter olente; in cuius superiorem partem, quae erat clausa, haud multo secus atque merces in vasa solent a mercatoribus compingi, coniiciuntur. In onerariam navim inde transmissi, Dordracum usque vehuntur. Omalius cum praecipuis comitibus urbem ingressus, dum stomacho indulgebat, iussit captivos licet ieunios in cymba ad ripam prope urbis portam alligata detineri, omnium contumeliis et ludibrio expositos. Omnes spectaculum visuri accurrebant, et convictis, maledictis, et siquid peius dici potest, Christi confessores salutabant. Aderat inter ceteros insignis quidam ac primi nominis haereticus Calvinianus, qui cum captivis de sanctissimo Eucharistiae sacramento disceptare multa coepit, cui Leonardus, Nicolaus, et Hieronymus, tam docte, solide, ac dilucide responderunt, ut haereticus ille victus ac ira percitus, in beatos Martyres saevirc quam ma-

xime coeperit. Paullo post, ventis secundis Dor-  
draco Brilam prope vehuntur Martyres frigore et  
inedia paene consumpti, ac incredibile dictu est  
quantum molestiarum per viam passi sint. Mane  
ad Brilae aggerem appulsi, ubi navium statio erat,  
Lumnii adventum expectabant. Hic quoque oppi-  
dani humanitatem abnegantes captivos maledictis  
afficere coeperunt, probrosis exagitare nominibus  
in catholicam religionem et sacrosancta eius my-  
steria horrendas evomere blasphemias.

§. 18. Interea equo insidens peditum equitum-  
que caterva stipatus, procedit Lumnus, atque ad  
naves accedens, captivos omnes singulatim, intentis  
oculis veluti iucundissimum spectaculum paullisper  
contemplatus, in cachinos dein erupit adeo effuse,  
ut homo sui vix compos super equum dorso re-  
supinus caderet. Mox acerbiora probra et maledicta  
in Christi Martyres protulit. Iubet deinde omnes  
e navilio educi, qui flexis genibus ante tyrannum  
stare coguntur. Tum comitatem simulans: *surgite,*  
inquit, *Domini mei:* mox ad Leonardum Vecche-  
lium conversus, cuius doctriuae fama et ad ipsum  
quoque pervenerat; *sacrificule,* ait, *quid hic agis?*  
*ecce nunc suspendi te oportet.*

§. 19. Tum milites, Martyres binos iunctis  
brachiis colligatos, alios post alios ordine dispo-  
nunt, atque praeante carnifice semel atque iterum  
patibulum circumire cogunt. Quidam laicus Fran-  
ciscalis manu gerens quoddam vexillum a catholico  
templo sacrilege sublatum, iubetur, supplicationis  
more, tamquam signifer, socios omnes pone se-  
quentes anteire, terque quaterque, ceu sacrae pe-

regrinationis votum solverent, circumambulare canentes antiphonam *Salve Regina*. Haec omnia fiebant ut catholicae religionis caeremoniis illudetur. Interea carnifex scala in eorum conspectu patibulo admota, in eo esse videbatur, ut iam singulos suspenderet. Ita terrore Martyribus incusso, bini ut advenerant aggere consono eodem ordine et modo in civitatem deducuntur. Quo vero spectabilior pompa esset et magis catholicorum caeremonias irrisioibus exponerent, duobus laicis Franciscanibus hastilia in manus traduntur, quorum summitati lappas aliasque huius generis herbas milites circumligarunt; quos inter, sociis pone sequentibus medius incedebat carnifex sacrum vexillum ferens. Hoc apparatu Martyres civitatem ingressi, hymnos quosdam sacros citharae coguntur, dum duo milites hinc inde equitantes virgis humaniter illorum fæies et scapulas verberabant; nudati enim usque ad pectus incedebant. Ipse Comes Lurinius equo insidens captivos omnes ante se agebat, eosque ferula identidem percutiebat. Ingens populi frumenta in viis et plateis Martyres transeuntes ludibriis et contumeliis prosequebatur; utque altius catholica religio illudetur, scopis aqua intinetis præterentes captivos conspergebant, clamantes alta voce: *Asperges me hyssopo*, etc. Ut ventum est in fortunam, iudicantur eodem modo atque ordine, quo extra civitatem fecerant, patibulum in eius medio erectum ter circumire canentes B. Virginis laudes, et sub ipso genua flectere. Cum diu multumque furiosae plebis libidine supra modum defatigati in foro stetissent, detruduntur in foetidissimum atque

obscurum carcerem , ubi inelusum repererunt parochum Andream Waltherum ; atque ibidem paullo post duo delati sunt Praemonstratensis Ordinis Canonici Regulares Hadrianus Becamus parochus et ipse in ea Hollandiae parte, quae Mosae in Oceanum procurrenti dextra est ; et Jacobus Lacopius eius subminister, uterque missi ex Abatis Middelburgensi, cui parochum constituenti ius erat. Hi Brilam avecti fuerant a Calvinianis pyratis una eum Iacobi patre. Et ut primum sistebantur Comiti Lumnio iste eos videns alba Ordinis sui veste praecinctos, quaesivit quinam hi essent ; cui responsum fuit, ipsos esse sacerdotes et monachos eius capitales hostes; cumaque rescivisset senem iunioris Iacobi esse patrem Flandria genitum, et gallicam linguam callere, rogavit, ut si posset filio suo papismum renuntiare suaderet, qua conditione solutos ambos dimitteret. At Jacobus illico respondit, se potius moriturum ; hoc enim modo aeternam sibi vitam compararet; quo audito iratus Lumnius senem abire iussit , monachosque una cum aliis captivis in carcere custodiri.

§. 20. In uno eodemque domoieilio tres carceres erant alius super alium constructi. Martyres coniecti in infimum fuerant omnium tetricum atque immundissimum. Qui enim in superioribus erant collocati, quidquid e ventre eiiciebant, per tabularum rimas in inferiorem partem distillabat; quo maxime coenosus atque humidus locus reddebatur, adeo insuper obscurus, ut non nisi ex voce quisquam agnosci posset. Ieiuni usque ad tertiam post meridiem horam omnes ibi relicti fuerant ,

quo tempore e carcere in civicam domum deducuntur examini singillatim subiiciendi. Comes Lumnus aderat cum satellitibus suis, ut auctoritatem et pondus inquisitioni adderet. Cum Leonardus more suo coram Comite libere loquutus fuisse, quidam satelles bipenni quam manu habebat, cervicem eius percussit, cui affabili ore respondit; *percutite ut lubet carnem meam dum vobis permittitur, hoc non diu erit.* Tum satelles militarem malleum eius occipiti tanta vi impegit, ut illico copiosus sanguis e vulnere effluxerit. Non minus aperta et constans ceterorum omnium confessio fuit, qui in catholica fide etiam in mortis discrimine perseverare velle uno ore professi sunt. Memoratu digna fuit responsio laici Cornelii Wicani Franciscalis, qui de sua fide quaesitus libere respondit, se uno verbo id credere, quod eius Praepositus crederet. Expleto examine, Martyres amicorum precibus in minus asperum carcerem deferuntur; allatumque ipsis est vas satis amplum aqua refertum, cum secundario pane, quo sua corpora tam divexata reficerent.

§. 24. Insequenti die VIII Iulii, examen longe acrius institutum fuit, ad quod non omnes sed qui doctiores videbantur, convenire iussi sunt. Hi fuerunt Leonardus et Nicolaus Parochi; Franciscales Nicolaus Moderator, Hieronymus eius Vicarius, et Godefridus Mervellanus, atque duo Canonici Præmonstratenses. Hi septem rursus a meridie e carcere ad curiam deducti in senatorio conclavi sistuntur. Aderant Ioannes Duvenvordius urbis prætor et quaestor vir haud pessimus atque aliquo ingenio praeditus, scriba qui responsa celeri calamo

exciperet, et duo germani Nicolai fratres, quorum  
 precibus novum hoc examen institutum fuerat, ut  
 pote sperantes, hoc modo fratrem carissimum cum  
 omnibus sociis servaturos. Primo quaesitum est,  
 quid sentirent de Romano Pontifice. Sedebant inter  
 iudices quidam Cornelius Gorcomianus nauta, homo  
 plane rudis, sed audax et catholicis valde infensus,  
 atque Andreas paullo doctior, qui fuerat Ecclesiae  
 S. Catharinae Brilensis parochus, sed oppido a  
 Calvinianis occupato ob animi levitatem a catho-  
 lica fide defecerat. Pollicitum iis est coram Lumnio  
 totoque consessu, omnes dimissum iri, si catho-  
 licæ fidei valedicerent, Mira omnium et praesertim  
 Nicolai constantia enituit, qui nullo pacto induci  
 potuit, ut falsam et haereticam fidem uti veram  
 amplecteretur, centiesque professus est se pro re-  
 ligione moriturum, easque omnes quas habuerat  
 conciones sua morte libentissime confirmaturum.  
 Leonardus iussus Romano Pontifici renuntiare, nun-  
 quam se id facturum respondit, illosque compel-  
 lans, subiecit, se in veritate credenda illam velle  
 habere libertatem, quam ipsi suae et cuique sectae  
 dandam esse iactitabant. Inde duo Calviniani modo  
 memorati acriter cum Nicolao, Leonardo ceterisque  
 captivis de aliis fidei dogmatibus disceptare coepe-  
 runt. At continuo ob suam imperitiam et veritatis  
 evidentiam turpiter profligati, certamen derelin-  
 quere coacti sunt. Illico tamen ad disputationem  
 cum Hieronymo redeuntes, nihil aliud efficere po-  
 tuerunt, quam Vicarium verbis acerrimis insectari.  
 Duo Canonici Praemonstratenses de sacra Eucha-  
 ristia interrogati, theologicis rationibus firmiter

sustinuerunt, non esse panem nudum ac vulgarem quod in Dominica Coena sumitur, sed, prout catholica docet Ecclesia, verum Christi Corpus et Sanguinem, atque iudicium sibi manducare et bibere qui indigne suscepit. Graviter hinc inde disputatum est, atque Iacobus utpote sermone promptior catholicorum partes egregie tuebatur. Ex quo factum est ut adversarii iterum victi, Christi confessores maledictis, clamoribus et contumeliis impeterent. Tum Comes Lumnus blandis verbis omnes praesertim Jacobum valde iuvenem sermone et vultu eius gratiam sibi conciliantem hortatus est, ut ab incoepio desisterent, dulcemque sibi tandem aliquando libertatem recuperarent. Christi Martyres aperte fassi sunt, se neque promissis neque terroribus fidem catholicam negaturos.

§. 22. Dum haec Brilae geruntur, catholici Goreomienses ad captivos liberandos enixe adlaborabant. Die VII Iulii allatae sunt Orangii litterae, quibus omnibus et quorumcumque locorum praefectis mandabatur ne cuique ecclesiasticorum aut religiosorum, ordinis ac professionis suae causa, molestia daretur, sed omnes isti sicuti reliqui de populo incolumes evaderent, eademque iuris libertate fruerentur. Marinus arcis praefectus, autographum sibi servans, litterarum exemplum perferendum dedit ad Comitem Lumnium, usus opera cuiusdam iurisconsulti de captivorum liberatione valde solliciti; qui postero die acceptis quoque a Senatu mandatis celeriter Brilam sub vesperam contendit, cum alteram iam Martyres disputacionem habuissent. Mandatum ei fuerat, non solum

Orangii Senatusque litteras reddere, sed omnem adhibere operam ut omnes liberarentur praesertim Leonardus primus civitatis parochus, cuius soror incredibili affectu pro fratriis liberatione erat sollicita, ad quam assequendam magnam pecuniae vim solvere parata erat. Ubi Comes a delegato litteras accepit et eloquentissima audivit verba quibus vir doctus facundus omnium captivorum libertatem nulla prorsus exceptione in arcis ditione sponsam implorabat, impetu efferatae mentis clamavit, se iamdudum omnium sacerdotum et monachorum qui Brilam advenerant interitum iurasse, nil sibi cum Orangio esse, nil sibi uti a magistro praescribi, neminem sibi superiorem esse. Iam autem varia et contraria eorum erant studia qui Comiti aderant; nonnulli enim enixe incumbebant ad Martyres liberandos; alii vero qui Calvinianae factioni favebant id unice contendebant, ut quamprimum captivi necarentur. Nicolai germani fratres qui singulari amore eum complectebantur omnem dabant operam ut absque periculo dengandae fidei, pretio redimeretur. At Nicolaus, ut semper, minime acquievit, nolens in extremo quod iam imminebat certamine socios suos derelinquere; atque cum omnium quoque captivorum liberatio sponsa esset ea tantummodo conditione, ut Romano Pontifici renuntiarent, omnes constanter renuerunt.

§. 23. Post haec, germani fratres a Comite impetrarunt, ut Nicolaus carcere solutus in aedes militum praefecto attributas solus cum germanis fratribus suis ad colloquium duceretur, qui neque

precibus, neque blandimentis, neque promissis aliquid impetrarunt. Cum autem ipsi instantent, ut Nicolaus non Deo sed Romano Pontifici, qui Deus non est sed homo renuntiaret, illum nullo pacto a proposito dimovere potuerunt. Cum vero Nicolaus iam inedia ceterisque carceris molestiis vehementer esset exhaustus, non renuit, ut ipsi postulabant, lauta satis coena cum fratribus uti, putantibus illum bene potum facilitiori modo a suo proposito discessurum; interim vultum praetulit Nicolaus nequaquam tristem sed serenum et ad hilaritatem compositum. Tum iterum illum aggressi, instantius contendebant, ut saltem aliquantulum fidem suam dissimularet, donec mortem tam probrosam effugeret; sed illos compellans, assueta constantia respondit, se fidem catholicam ad sanguinis usque effusionem palam defensurum. Hisce disputationibus in longam noctem productis germani fratres, eius animi pertinaciam aegre ferentes discessere; Nicolaus vero viribus defatigatus super scamnum se reclinans gravi premitur somno.

§. 24. Interea Comes Lumnius cum militibus assuetis commessionibus vacabat; cumque vino madens inter epulas Orangii litteras relegisset, comperit, non authographum sed harum exemplar a Marino missum ad ipsum fuisse. Ira excandescens in Orangium conclamat turpissimis compellat nominibus, horrendas evomit blasphemias. Mox fervente bile, primario praefecto criminali demandat, ut omnes ad unum sacerdotes et monachos in carcere detentos illico suspendat, neque quantovis pretio redimi sinat; cius iussa quain

celerrime exequenda Omalius curat. Undecima ferme noctis hora impii satellites audita Comitis voluntate , quam citissime aedes petunt , ubi Nicolaus Pichius scamno incumbens serena conscientia dulcem captabat somnum , ac illum ad socios Martyres adducunt. Tum milites omnes Christi confessores binos colligatis brachiis iungunt , eosque ex urbe educunt , cum iam prima esset post mediam noctem hora. Neque tunc efferati illi ductores ab iniuriis per viam adversus captivos sese abstinere potuerunt. Ubi ventum est ad Monasterium Ruggense a S. Elisabeth quod Canonici Regulares S. Augustini olim incolebant , quodque a Calvinianis eversum fuerat, in quodam monasterii loco instar horrei ampio repererunt duas trabes , quae Martyribus omnibus suspendendis satis opportuiae militibus visae sunt. Mox omnes vestibus pene ad nudum spoliantur. Primus omnium ad supplicium rapitur Nicolaus, qui fratres suos singillatim osculatus, extremis verbis hortatur ut pro catholica fide fortiter constanterque ad ultimum usque spiritum decerent, pulcherrimas perpetuasque coronas a Christo in caelis pro hac vita recepturi. Nec loqui destitit, donec ore paecluso fune obstringenti, vox faucibus haesit. Ceteri quoque antequam necarentur toti in confirmandis et cohortandis sociis fuere praesertim Hieronymus Vicarius , Nicasius Hezius; Leonardus et Nicolaus parochi. Neque omittendum de Nasicio est, quod cum eo venisset quidam Calvinianus ad quorundam Martyrum supremo illo in agone fidem tentandam, Nicasius sodales minori scientia vel for-

titudine praeditos tacere iussit, eorum partes cum haeretico agere sibi reservans: quotiesque Martyres excitabantur an vellent Romano Pontifici renuntiare, ipse sodalium nomine audacter respondebat: *nolunt, et nobiscum mori et vivere statuerunt.* Hieronymus Vicarius cum audisset Henricum laicum Franciscalem omnium natu minimum illius haeretici hominis suasionibus infeliciter cessisse, cumque ab eodem haeretico hortaretur, ut papisticam desereret superstitionem, adeo graviter illum obiurgavit, ut carnifex antequam eum suspenderet vultu lacinato cultro deformaverit. Postremi omnium Godefridus Mervellanus, parochus Leonardus, et alter Godefridus Dunaeus, Deum pro suis inimicis exorantes laeti scalam ascenderunt; atque ita omnes laqueo suspensi die IX Iulii anni MDLXXII ad martyrii coronam evolarunt. Verum milites adversus Martyres horribilem exercuere barbariem. Nam primum detractae corporibus usque ad nudum vestes, illorum cupiditati cesserunt. Mox lanionum more auriculas, nares, pudendas etiam corporis partes illis amputarunt: deinde eorum ventrem aperientes intima scrutantur viscera, inquiruntque abdomen; atque pro certo habentes adipem humani corporis ad medicamina et rem unguentariam prae ceteris praestare, hanc artem callentiibus ea divendunt, qui non multo post Gorcomii in medio foro publicae emptioni exposuerunt. Martyrum corpora a piis viris oblato pretio redempta in duas foveas sub trabibus, in quibus suspensa fuerant tumulata sunt.

§. 25. At Deus Optimus Maximus , beatorum Martyrum sanctimoniam miraculorum frequentia atque praestantia ostendere illico coepit; eorumque cultus mirum in modum crevit , cum eorum Reliquiae defossae solemniori quodam modo publicae venerationi expositae sunt. Re ab Episcopis ad hanc Sedem Apostolicam delata, Belgii Nuntio mandatum est, ut de ipsorum Martyrio et Reliquiarum identitate requireret. Hoc praestito, Sacrorum Rituum Congregatio rerum serie mature perpensa , litteris ad Archiepiscopum Mechlinensem datis die XIII Novembris anni MDCXXI cultum qui iam invaluera<sup>t</sup> permittendum censuit , donec aliter ab hac sancta Apostolica Sede decerneretur. Anno MDCXLVIII processibus auctoritate ordinaria institutis atque ad examen vocatis, eadem Sacrorum Rituum Congregatio declaravit, *constare dictis Dei servis cultum ab immemorabili exhibitum fuisse et ad praesens exhiberi , et comprehendendi inter casus exceptos a decretis Urbani VIII , ac proinde illis nunquam contrarium fuisse et esse , ideoque posse ad ulteriora procedi.* Quod decretum Innocentius X Pontifex Maximus Praedecessor Noster die XIII Iulii anni MDCXLIX confirmavit. Datis inde litteris remissorialibus, per varias Hollandiae et Belgii dioeceses ab Apostolicae Sedis delegatis tabulae processuales super Martyrio, causa Martyrii et Miraculis apertae sunt.

§. 26. Apostolicis processibus ad urbem perlatis, eorumque validitate in generalibus Comitiis coram Alexandro VII Praedecessore Nostro die XXIII Martii anni MDCLXVI approbatis, *constare de mar-*

*tyrio et causa martyrii, sancitum est, ideoque ad miraculorum discussionem posse deveniri.* Ex multis atque splendidis prodigiis a Deo hisce Martyribus intercedentibus patratis, duo super triginta ex processibus deprompta Sacraeque Rituum Congregationis trutinae subiecta sunt ; quae duodecim solummodo severiori discussione perpendenda censuit. Ex quibus in generali Conventu habito die XXV Septembris anni DCLXXIV coram Clemente X Antecessore Nostro, duo utpote clariora atque evidenter argumenta finalis eorumdem Martyrum perseverantiae ad relationem Cardinalis Azzolini unanimi omnium Consultorum et Cardinalium assensu idem Summus Pontifex adprobavit, videlicet quartum Iordanis Theodori Dinchii a nativitate ; et quintum Aegidii Tilmanni Diaconi intestinalis herniae pertinacibus et deformibus fracturis per plurimos annos laborantium, qui statim emisso voto, integri sanique ac si nunquam simili morbo correpti fuissent reperi sunt.

§. 27. Rebus catenus adductis, expletisque omnibus quae Urbani VIII Praedecessoris Nostri novissima iniungunt Decreta, auditis iterum Cardinalium et Consultorum sententiis eadem Sacra Congregatio omnium suffragante consensu declaravit, *tuto posse quandocumque deveniri ad praedictorum Martyrum Canonizationem iuxta Ritum Sanctae Romanae Ecclesiae atque sacrorum canonum dispositionem ; ac interim donec ad actum solemnis Canonizationis deveniatur, posse illas Beatos declarari, Missa et Officio de communi plurimorum Martyrum concessis.* Quod litteris in forma Brevis die XIV Novembris

anni MDCLXXV ab eodem Clemente X Pontifice Maximo Praedecessore Nostro sancitum fuit.

§. 28. Cum res ita se haberent, causa huiusmodi Canonizationis toti Belgio desideratissima fere per bis centum annos substituit; sed divinae Providentiae consilio factum est, ut nostra aetate, qua tetricum atque occultum bellum specie politicae libertatis Christo eiusque Regno ac in terris Vicario indicitur, ad optatum exitum perduceretur. Itaque mandavimus, ut omnia fierent eadem servata methodo, quam in Martyrum Iaponensium Causa adhibuimus. Libeati itaque animo primam postulationes excepimus dilectorum Nobis filiorum Praesidum illorum Ordinum ad quos beati Martires pertinebant, quibus postulationes quoque Belgii ac Hollandiae Episcoporum accessare. Votum deinde pro veritate expostulavimus a dilecto filio Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, atque loco Consistorii Cardinales Sacris Ritibus praepositos in Vaticano Nostro Palatio in Consilium convocavimus die XIV Novembris anni MDCCCLXIV, atque a venerabili Fratre Nostro Ludovico De Alteris Cardinali Episcopo Albanensi Causeae relatore, preposito dubio, *an tuto procedi possit ad eorundem beatorum Martyrum Canonizationem*, omnes uno ore assenserunt. Nos vero decretoriam Nostram sententiam, maius a Patre luminum auxilium impetraturi, usque ad sacratissimam diem Epiphaniae Domini Nostri Iesu Christi, pronunciare distulimus, qua die, Sacro solemniter confecto, cui illustri Cardinalium stipante corona adstitimus, sacerdos reverenter vestibus, atque in cathedra sedentes, ad Nos ac-

eivimus Venerabiles Fratres Nostros Constantimum Patrizi Cardinalem Episcopum Portuensem et Sanctae Rufiae, Sacrae Rituam Congregationi Praefectum, et Ludovicum De Alteriis Cardinalem Episcopum Albanensem Causae relatorem, atque adstantibus dilectis filiis Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, Dominico Bartolini Sacrae Ritua Congregationis a Secretis, aliisque de more, tuto procedi posse ad solemnem Martyrum Gorconniensium Canonizationem in Basilica Vaticana habendam in Domino declaravimus atque mandavimus.

§. 29. Ad servandam autem in gravissimo hoc negotio a Praedecessoribus Nostris praescriptam agendi rationem, primum universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in Consistorio habitu die IIII Junii huius anni MDCCCLXVII sententiam rogaturi coram Nobis convocavimus, qui beatissimorum Martyrum gestis a dilecto filio Francisco Morsilli Nostrae Consistorialis Aulae Advocate auditis, Nos ad legitimam Causae huius absolutionem una voce cohortati sunt. Euravimus insuper litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores Episcopi, sed remotissimi quoque Americae aliquique qui Orientales plagas incolunt, cumque sancta hac Sede communionem habent de hac re commonerentur, seque ad Urbem conferrent ut Nobis de solemni hae Canonizatione consilia suppeditarent, quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi confluxissent causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in publico Consistorio, uti diximus, coram Nobis coacto, tum ex monumentis depromptis, a

Sacra Rituum Congregatione, quorum exemplar unicuique tradi voluimus, in semipublicum Consistorium coram Nobis collectum convenerunt die XII Iunii eiusdem anni MDCCCLXVII. In quo non modo Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi omnes in eamdem sententiam unanimes conspirarunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta in Tabularium Sanctae Romanae Ecclesiae relata sunt.

§. 30. Ad solemnem hanc Canonizationem celebrandam statuimus diem XXIX Iunii volventis anni MDCCCLXVII, saecularem, teste Hieronymo, faustissimae illius diei qua Apostolorum Principes in hac ipsa urbe martyrii palmam receperunt, fidemque ab ipsomet Christo acceptam suo sanguine confirmarunt. Indictis interea in Urbe ieuniis, statisque Ecclesiis ad sacras Indulgentias lucrandas invisendis, hortati sumus omnes christifideles, ut precibus et obsecrationibus instantes caelestem Nobis opem in tam gravi negotio suppeditarent.

§. 31. Ubi faustissima illuxit dies, omnes tam saecularis, quam regularis Cleri ordines, singuli Romanae Curiae, Praesules et Officiales, cuncti denique Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi pene quingenti in Vaticanam Basilicam convenerunt ceu sponsae ritu mirifice ornatam, quam iis praeeuntibus solemni supplicatione ingressi sumus. Tunc Venerabilis Frater Noster Constantinus Patrizi Card. Episcopus Portuensis, et S. Rufinae

Canonizationi huic procurandae praepositus, per  
rante dilecto filio Ioanne Baptista De Dominicis-Tosti  
Consistorialis Aulae Nostrae Advocato, vota Nobis  
precesque detulit sacrorum Antistitum, Seraphicae  
Familiae de Observantia aliorumque Ordinum ad  
quos Martyres pertinebant, ut illos in Sanctorum  
numerum referremus. Cum vero iterum et tertio  
superius memorati Cardinalis et Nostrae Consi-  
storialis Aulae Advocatus Nos obsecrassent, ut  
tandem aliquando Nostram aperiremus sententiam,  
primum universae caelestis aulae praesidio, dein  
divini Spiritus copioso lumine implorato, ad ho-  
norem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exal-  
tationem Catholicae Fidei, et Christianae Religio-  
nis incrementum et decus, auctoritate Domini No-  
stri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et  
Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita,  
et divina ope saepius implorata, ac de Venerabi-  
lium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium,  
Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum  
consilio, praedictos Gorcomienses Martyres BB. Ni-  
colaum Pichium cum eius sociis, videlicet, Hie-  
ronymum, Theodoricum, Nicasium, Willehadum,  
Godefridum Mervellanum, Antonium Werdanum,  
Antonium Hornariensem, Franciscum, Ioannem,  
Hadrianum, Iacobum, Ioannem Osterwicanum, Leo-  
nardum, Nicolaum Poppellum, Godefridum Du-  
naeum, et Andream Sacerdotes; Petrum et Cor-  
nelium laicos, omnes Martyres Sanctos esse de-  
crevimus definivimus, ac Sanctorum albo adscripti-  
mus. Quibus addidimus B. Iosaphat Kuncewicium  
Archiepiscopum Polocensem Ruthenorum Ordinis

S. Basili Magni; et B. Petrum De Arbues, alias Magistrum Epilae Canonicum Regularem S. Augustini, ambos quoque Martyres; Paulum Fundatorem Clericorum Regularium excalceatorum a Cruce et Passione Domini Nostri Iesu Christi, Leonardum a Portu Mauritio Missionarium Apostolicum Ordinis Minorum S. Francisci severioris observantiae in Recessu S. Bonaventurae de Urbe Confessores; et Beatas Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi tertiariam professam Ordinis Minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neapolitana, et Germanam Cousin ex oppido Pibrac Tolosanae dioecesis, virtutibus, Christi imitatione, et prodigiis omnes spectandos. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo relatis Sacrum solemniter litanimus, laetitiamque cordis Nostri promere cunctientes, peracta S. Evangelii lectione, universum clerum populumque frequentissime adstantem enixe hortati sumus ad praedictos Christi Martyres venerandos, imitandos, deprecandosque, ut in hisce potissimum Ecclesiae calamitatibus eos potentes apud Deum intercessores experiamur. Plenariam denique Indulgentiam per amanter impertiti, Apostolicas hasce Litteras manu Nostra omniumque S. R. E. Cardinalium obsignatas ac sigillo Nostro munitas expediri mandavimus.

§. 32. Nicolai, eiusque sociorum Gorcomiensium Martyrum Natalem recolendum statuimus die IX Iulii, quo die gloriose Martyrio coronati sunt, atque omnibus christifidelibus, qui ea die eorum sepulcrum venerati fuerint Indulgentiam septem an-

norum totidemque quadragenarum in Domino perpetuo largiti sumus.

§. 33. O fortissimi Christi athletae, Parochorum splendor, Praemonstratensis, Augustinianae, Seraphicae et Dominicanae familiarum honores, sacerdotalis dignitatis decus, quibus vos nominibus compellabimus, quibus laudibus efferemus? Vos recentiori mundi aetate inter ludibria atque tormenta ad certamen pro Christo venistis, sed non minori virtute strenui pugnastis. Vos mori maluistis, quam ab ea Petri Cathedra seiungi, quae magistra et columen est veritatis, quaeque nostris hisce temporibus tam acriter non ab haereticis et schismaticis tantummodo, sed ab incredulis toto fere terrarum orbe premitur atque impugnatur. In extremo etiam agone positi, cum Vobis aut iucundissimae libertatis aut turpissimae et crudelissimae mortis optio daretur, oves a lupis arcendas curastis, atque in ipso etiam mortis articulo unionem cum Romano Pontifice habendam esse conclamastis. Prius spiritum quam vocem amisistis. O novum Catholicae Ecclesiae additum ornamentum! Quam bene Vos omnes tot inter Martyrum legiones, qui pro fidei integritate atque pro hac Apostolica Sede certarunt, conspicimus! Vos qui amplissimam laborum mercedem a Deo recepistis, Vos obsecramus atque obtestamur, servidores fundite preces, ut in tanta rerum omnium conflagratione, in tot quibus obrui-mur erroribus, atque in tetricimo bello, quod societati universae, Petri Cathedrae, Nobisque indicatur, caeleste auxilium tandem aliquando adsit. Iam co devenimus, ut nonnisi a Deo eiusque Matre

totius labis nescia speranda sit salus; quam fidenti animo tot multiplicatis intercessoribus, praesenti que Apostolorum Principum patrocinio ad Catholicae Religionis incrementum et fidei triumphum hodierna die habendam confidimus.


§. 34. Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§. 35. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relationis et voluntatis infringere vel ei temerario ausu contraire voluerit vel praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

 Ego PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



- ✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veltornus,  
card. Sacri Collegii decanus Mattei , Pro-  
Datarius.
- ✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Ru-  
finae card. Patrizi.
- ✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat,  
Vice-Cancellarius.
- ✠
- ✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de  
Alteriis, S. R. E. Camerarius.
- ✠ Ego Nicolaus episcopus Tusculanus card. Clar-  
elli Paracciani, Brevium a Secretis.
- ✠ Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Ther-  
mas proto-presbyter card. De Angelis , ar-  
chiepiscopus Firmanus.
- ✠

✠ Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Vannicelli Casoni, archiepiscopus Ferrariensis.



✠ Ego Cosmas tituli sanctorum Ioannis et Pauli presbyter card. Corsi, archiepiscopus Pisanus.

✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Coelio presbyter card. Asquini.

✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter card. Carafa de Traiecto, archiepiscopus Beneventanus.

✠ Ego Xystus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario-Sforza , archiepiscopus Neapolitanus.

✠ Ego Iacobus Maria Hadr. Caesareus tituli sancti Silvestri in capite presbyter card. Mathieu, archiepiscopus Bisuntinus.



✠ Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae in Via presbyter card. Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.



✠ Ego Camillus tituli sancti Ioannis ante portam latinam presbyter card. De Petro.

✠ Ego Ioachim tituli sancti Chrysogoni presbyter card. Pecci, archiep. episcopus Perusinus.



✠ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans-Tiberim presbyter card. De Reisach.



- ✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannae presbyter card. Barnabò.
- ✠ Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Silvestri et Martini presbyter card. Antonacci archiep. episcopus Anconitanus et Humanus.
- ✠ Ego Ioseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, Abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.
- ✠ Ego Petrus tituli sancti Marci presbyter card. De Silvestri.
- ✠ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo presbyter card. Sacconi.
- ✠ Ego Michael tituli sanctae Priscae presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- ✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- ✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, Poenitentiarius maior.
- ✠ Ego Ioseph Aloisius tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato Patriarcha Venetiar.
- ✠ Ego Antoninus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- ✠ Ego Ioseph Andreas tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter card. Bizzarri.

- ✉ Ego Ludovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- ✉ Ego Io. Baptista tituli sancti Callisti presbyter card. Pitra.
- ✉ Ego Fr. Philippus Maria tituli sancti Xysti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiensis.
- ✉ Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De Bonnechose, archiepisc. Rothomagen.
- ✉ Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen, archiepisc. Dublinen.
- ✉ Ego Gustavus tituli sanctae Mariae in Transpontina presbyter card. De Hohenlohe.
- ✉ Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Pancerna presbyter card. Bilio.
- ✉ Ego Ioseph sanctae Mariae in Via Lata card. Proto-Diaconus Ugolini.
- ✉ Ego Ioseph sancti Caesarei card. diaconus Bofondi.
- ✉ Ego Iacobus sanctae Agathae ad Suburram card. diaconus Antonelli.
- ✉ Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card. diaconus Roberti.
- ✉ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- ✉ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. diaconus Grassellini.
- ✉ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.

¶ Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card.  
diaconus Pentini.

¶ Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica card.  
diaconus Consolini.

M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Pa-  
racciani.

Loco ¶ Plumbi.

Visa De Curia  
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

## LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE S. LEONARDI A PORTV MAVRITIO MISSIONARII  
 APOSTOLICI ORDINIS MINORVM SANCTI FRANCISCI SEVERIORIS  
 OBSERVANTIAE IN SACRO RECESSV SANCTI BONAVENTVRÆ  
 DE VRBE.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1. Ea semper fuit Dei Optimi Maximi in universo orbe regendo sapientia atque providentia, ut ad humanam societatem moderandam iisdem mediis utatur, quibus homines eam labefactare conantur. Quod si de omnibus affirmari potest, multo magis de moribus et de christiana religione sarta tectaque tuenda dicendum. Et re quidem vera, nemo certe inficiari potest, superiori aetate quamplurimos inconsutilem Christi vestem dilacerasse, fidei dogmata denegasse, impias doctrinas sive scriptis sive sermone docuisse, pécudum magis quam hominum more degisse vitam, civilem societatem susque deque magno animarum detimento vertisse; atque illarum calamitatum omnium fundamenta iecisse, quas nos miserrime experimur. Attamen eo ipso tem-

pore doctissimi et pientissimi viri non defuerunt , qui moribus, sermone, concionibus, editisque scriptis, singulari alacritate labentem societatem coercere conati sunt, homines ad sanam doctrinam revo-carunt, zeloque animarum succensi longo vitae spatio sategerunt, ut omnes a peccatis averterent, suadentque veram felicitatem assequi non posse, nisi in Deo. Luculentissimum nobis ac recens exemplum suppeditat sanctus Leonardus a Portu Mauritio.

§. 2. Hic piis honestisque parentibus Dominico Casanova et Anna Maria Benza, virtute magis quam fortuna et genere commendatis, in Portu Mauritio Liguriae oppido ortus est die vigesima decembris anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, nomenque in baptismate sortitus est Pauli Hieronymi. Praetereundum non est, lustralibus undis ablutum fuisse in pervigilio Apostoli Thome, quem forma vivendi et laboribus pro Christo perferendis tam bene esset imitaturus. Puer egregia indole ornatus , pietatem redolebat , tantumque in virtute et litteris profecerat, ut matre intempestive orbatus sub patris disciplina saepe ad longa itinera capessanda coacti , aequalibus suis exemplo atque incitamento fuerit.

§. 3. Quod magis comprobatum est, cum duodenitis Romam studiorum caussa apud patrum ibi commorantem missus , in Collegio Romano Soc. Iesu humanioribus litteris atque philosophiae operam dedit. Mira enim alacritate in praeclarissima illa scholarum palaestra versatus est; cumque ingenio et profectu nemini cederet, morum innocentia, animi demissione, vitae austeritate, suique con-

temptu, omnes ita antecedebat, ut a condiscipulis alter Aloisius Gonzaga appellaretur. Inter eos sodales qui a patre Caravita vulgo nuncupantur, adscitus, maximo animi ardore totum se piis operibus dedit, nihilque magis in votis habuit, quam se apostolicis concionatoribus in proximorum salute curanda addere: quapropter, uti sodalibus illis mos est, libentissime sacros in Urbe Missionarios comitabatur. Hisce virtutum et litterarum positis fundamentis, quo magis Deo inserviret illique placeret, terrenis omnibus se abdicare voluit. Itaque plurimis Deo fusis precibus, inter Fratres Franciscales reformatos rigidioris instituti, divina favente gratia, receptus est, diu ac frustra patruo, cui acceptissimum se reddiderat, resistente. De virtute in virtutem quotidie proficiens, eo ardore tyrocinium confecit, ut nihil antiquius habuerit; quam leges vel levissimas summo studio observare, carnem suam in servitutem redigere, atque perardenti caritate Deum atque proximum diligere.

§. 4. Nondum Clericus summo flagrabat desiderio Seraphicum Parentem Franciscum imitandi, qui se in barbaras terras contulerat, ut sanguinem suum ad infideles Christo comparandos funderet. Quapropter Leonardus totum se theologicis certisque disciplinis dederat, ut perfectus homo Dei ad omne opus bonum instructus redderetur. Sacris initiatus, manuumque impositione recepta, protinus praecoris Evangelii munus aggressus est. Conclaves ad populum frequentissimas habere coepit, tantumque contentionis in hoc opere adhibuit, ut in ipso sui apostolatus exordio, quin-

quennio ab eo abstinere coactus fuerit; eo enim pectoris morbo laboravit, quem medici emophtisim vocant. Dei genitricis ope, cui se enixe commendaverat, ad pristinam incolumentem rediit; quadraginta et ultra annis optima usus est valetudine, quamvis corpore admodum gracili uteretur, illudque inedia, vigiliis, macerationibus laboribusque extenuaret; quod prodigii loco ab omnibus habitum est. In hoc vitae genere, nec periculis deterritus, nec laboribus fractus, ad mortem usque ingenti animarum lucro perseveravit. Apostolicam vivendi formam sequutus, una contectus tunica, capite detecto, sine calceis, sine pera Missiones, quas Romae exorsus fuerat, semper habuit. Paupertatis cultor eximus, rigidam Seraphici Francisci pauperiem imitatus est.

§. 5. Libentissime in Romano S. Bonaventurae Recessu commoratus fuissest, ast divinae obsequens voluntati, quae illum alio ad maiora vocabat, Florentiam se contulit, ibique splendida caritatis exempla dedit. Certatim ab sacris Etruriae Praesulibus rogatus ut, ad christianaе plebis utilitatem, Missiones in dioecesibus haberet, magnum sui desiderium ubique reliquit. Maxima illi vis inerat in dicendo, verborum copia, facile eloquium, atque in perorando tantam corporis sui contentionem adhibebat, ut auditores saepenumero clamoribus et singultibus haud dubia poenitentiae argumenta praeberent. Omnibus omnia factus benigne singulos excipiebat, neque ullum a se nisi contentum dimisit. Quas sibi in Missionibus obeundis leges proposuerat perpetuo servavit. Cum

vero quiesceret, in solitudinem se recipiebat in eo prope Florentiam Recessu, quem, in aede a Cosma III magno Hetruriae duce, cui erat carissimus, comparata, fundaverat. Ibi tum ipse tum eius contubernales, secreti a populo asperrimo vitae genere degebant; ibique etiam recipiebantur quotquot vel arctius Deo adhaerere, vel sacris exercitiis vacare, vel melius conscientiam suam discutere vellent. Leonardus ipse vivendi iusserat leges omnium utilitati accomodatas, atque a Summo Pontifice rite adprobatas.

§. 6. Principi, plebique acceptissimus Leonardus viginti circiter ab annis Florentiae degebat, cum Clemens XII antecessor Noster eum Romanum revocavit, ut spirituali gregis sui saluti magis provideret. Longe enim lateque tot virtutum fama vulgata fuerat. Hetruria illico relictus, velox in Urbem se contulit, eoque zelo et studio quo antea usus fuerat, missionarii Apostolici munus suscepit. Comparata sibi omnium benevolentia, singuli illum tamquam civem suum adamabant; nec solum Clementi XII, sed immediato eius successori Benedicto XIV fuit acceptissimus, qui eum ad Corsicae insulam evangelizandam turbulentissimo tempore misit.

§. 7. Dici vix potest quae ad animarum salutem in Urbe usque ad vitae exitum gesserit. Plura sodalitia excoluit, atque illud in primis quod ad S. Theodori in Foro romano a sacro Corde Iesu nuncupatur. Multa quoque in iis praestitit, quibus in Christum atque in Deiparam honor augeretur. Quo magis Dominicae Passionis memoria et cultus in

populo invalesceret, auctor fuit ut quoque in amphitheatro Flavio sacella et imagines haberentur, quae Iesum ad Calvariae locum iter facientem referrent. Pientissimam enim considerationem Christi Crucem bajulantis a beato Alvaro sodali Dominicano in deliciis habitam, et vulgo Viam Crucis appellatam, atque fere desuetam adeo Leonardus propagavit, et indulgentiis augendam curavit, ut nihil supra. Perpetuam Eucharistici Sacramenti adorationem promovere studuit, beatamque Virginem omnis labis expertem non modo venerabatur, sed totis viribus adlaborabat, ut immaculata conceptio, tamquam dogma suavissimum, quod Divino Spiritu afflante a Nobis factum est, ab Ecclesia definiretur. Scrutationis cordium, prophetiae dono, et miraculis claruit.

§. 8. Senio tandem confectus, venia a Sodalibus implorata, Ecclesiae sacramentis roboratus obdormivit in Domino VI Kal. Dec. an. MDCCL. Omittendum non est quod cum senex et prope infirmus e Bononiensi Missione Romam rediens morbo tentari coepisset, sibique supremum diem adventasse cognosceret, iter properavit, donec sancti Bonaventurae Recessum ingressus est: spoponderat enim Benedicto XIV, cuius iussu Missiones in Urbe sacro anno praeparatorias habuerat, se nullibi nisi Romae moriturum. Septuagesimum quintum agebat aetatis annum. Funus satis amplum confertissimo populo fuit. Omnes eius interitum lamentabantur, eius exuvias inspicere, vestes deosculari, rapere, si possent, connitebantur. Non modo Romani cives populique fi-

nitimi, sed longioris quoque itineris atque advenae prodigiorum copia moti ad eius sepulcrum conveniebant.

§. 9. Quibus omnibus de die in diem auctis, cogitatum est, de Superum honoribus illi largiendis. Duae inquisitiones illico eodem tempore conditae sunt: a Cardinali Urbis Vicario atque ab Episcopo Florentino, in iis enim locis commoratus plerumque fuerat, quas Nostra sacra Rituum Congregatio plene approbavit; Clemens decimus tertius antecessor Noster quarto idus Iulii millesimo septingentesimo sexagesimo quarto causae susceptionem iussit. Litterae ceu vocant remissoriales ad conficiendos Apostolica auctoritate processus Romae et Florentiae Ordinariis datae sunt. Perpensis omnibus eius scriptis, quae permulta fuerunt, nihil inventum est quod religioni ac bonis moribus obversaretur, quin imo maximam pietatem omnia sive manu scripta sive typis edita redolebant. Pridie nonas septembbris an. MDCCLXXIII a sacra Rituum Congregatione rescriptum est posse ad ulteriora procedi iure reservato fidei Promotori ea scripta scrutandi, quae a Ianuensi dioecesi nondum fuerant transmissa. Absolutis quae necessaria erant, ut omnia de more atque iuxta sacrorum Canonum normam conficerentur, eadem sacra Rituum Congregatio tum de virtutibus in gradu heroico, tum de miraculis agere coepit. Cum nondum quinquaginta anni a Servi Dei morte elapsi essent, a Pio VI Praedecessore Nostro XVII Kal. Februarii anno MDCCLXXXVII, Urbani VIII decreto venia data est. Tribus instauratis a S. Congregatione iudiciis in sessionibus antipraeparatoria, prac-

paratoria et generali Pius VI die XIV Kal. Martii anni MDCCXCII virtutes ipsas in gradu heroico fuisse, sancivit. Duo deinde miracula ex permultis, quae ferebantur, selecta sunt, iisque ab eadem Congregatione ter ad trutinam, uti supra, revocatis, idem antecessor Noster Pius VI quarto Nonas Augusti anni MDCCXCV, ad Sancti Bonaventurae Recessum se contulit; in ecclesia sacrum fecit, atque in ipsius venerabilis Servi Dei cubiculo decrevit constare de duobus miraculis tertii generis a Deo, deprecante Leonardo, patratis «nempe subitae perfectaeque sanationis puellae Annae Victoriae Marchetti a febri ethica cum marasco, viribus illico restitutis» atque subitae perfectaeque sanationis Simphorosae Betti ab inveteratis malignis ulceribus cacockleis ambas tibias novem mensibus et biennio profunde ac late in scorbutico corpore depascentibus. Indictis iterum generalibus comitiis in palatio Apostolico ad Vaticanum VII Kal. Maii insequentis anni MDCCXCVI, omnes unanimiter senserunt tuto procedi posse ad Servi Dei beatificationem; idque Pontifex Maximus superius memoratus fieri iussit XIV Kal. Aprilis eiusdem anni, die sacra Iosepho Genitricis Dei Sponso, quem inter praeceipuos patronos Leonardus coluerat, et a quo innumera beneficia testabatur accepisse. Splendido cultu ac singulari pompa caeremonia acta est in Basilica Vaticana XVIII Kal. Iulii eiusdem anni.

§. 10. Caelestium honoribus Beato Leonardo tributis, cum novis miraculis coruscare coepisset, aperte Deus significavit maiori cultu illum esse decorandum. Haec inter alia quae ferebantur prodigia selecta sunt, atque ad assuetam trutinam vocata.

Adolescentula Laura Maria Cardelli testrix degens in ginecaeо puellarum urbis, vulgo Mendicantium, dum arti suae vacaret, praelo textorio in pectore percussa illico sanguinem ex ore effudit: paulatim tussi, intercostali dolore, febris, ceterisque vexari coepit, quae phthisim aperte indicabant. Aere salubriori, medicorum consilio adhibito, convalescere visa est. Romam reversa intenso ac pernolesto renum dolore laborare coepit; adeo difficiliter mingebat, ut septem mensium spatio fistula indigerit. Doloribus plus minus aegram partem dilacerantibus, mingens, magnam sanguinis vim effudit, neque amplius fistula indiguit, urinam enim et purulentam materiam sanguis comitabatur. Quindecim mensibus a morbo crudeliter defatigata, saepius Eucharistico pane refecta, et infirmorum oleo inuncta, Laura sensit non ab hominibus sed a solo Deo auxilium esse habendum. Beati Leonardi opem imploravit, frustulum tunicae deglutivit, cumque magis in vitae discrimine versaretur, leni sopore correpta, aspexit Leonardum sibi pristinam incolumitatem pollicentem. Expergefacta iterum vidit Beatum, qui illi Iesum Crucifixum deosculandum dedit, atque ex eo temporis momento optima valitudine usa est.

§. 11. Elisabeth Bouzourđ Constantinopolitana, quadragesimum octavum aetatis annum agens, robusto et sano corpore, exiguum tumorem in dextera mamilla animadvertisit, qui nullum aut sane levem dolorem afferebat. Paulatim ita crevit tumor plumbei coloris effectus, ut acerbissimis doloribus cruciata, dexterum brachium nequidquam

attollere posset. Altero a morbi initio vertente anno, mulier ad medicos consulendos coacta est ; qui in eius mamilla scirrum cancerosum experti sunt, atque ferro solummodo extirpandum. Mulier omnia perpeti maluisset , quam morbo consumi , sed eius vir obstabat , qui a medicis audierat inutile esse remedium. Morti iam proxima frustulum vestis beati Leonardi a confessario ei delatum fuit. Elisabeth fidenti animo reliquiam amplectitur , Beato Leonardo se commendat , super mamillam deponit, cubitum pergit, obdormit, atque exergiscens se incolumem invenit. Tumor illico evanuerat, atque tum medici, tum vir eius prodigium admirati sunt, opemque illi a beato Leonardo collatam agnoverunt. Primum prodigium accidit Romae anno MDCCXCVI, alterum Constantinopoli anno MDCCCL.

§. 12. Absolutis Romae et Constantinopoli huiusmodi prodigiorum inquisitionibus atque a sacra Rituum Congregatione ad severissimum examen in tribus sessionibus vocatis, Gregorius XVI Praedecessor Noster declaravit XVI Kal. Aprilis anno MDCCCXXXIX, constare de primo miraculo nempe de perfecia sanatione *Laurae Mariae Cardelli ab inveterato morbo, viribus illico et plene restitutis*. Nos vero Nonis Augusti an. MDCCCLXVI ediximus constare de altero miraculo quod Deus omnipotens, intercedente B. Leonardo, operatus fuerat nimiram de instantanea sanatione a cancro *Elisabet Bouzourò*.

§. 13. Ut caussae huic finis imponeretur, unum supererat , an posita miraculorum adprobatione ,

tuto ad canonizationem Beati Leonardi procedi posset: quod factum est XIV Kal. Octobris eiusdem anni, convocatis comitiis generalibus, caussaeque relatore Ven. Fratre Nostro Ludovico De Alteriis Cardinali Episcopo Albanensi. Cum vero V nonas Octobris anni superius memorati, sacrum in privato Nostri Palatii Vaticani sacello fecissemus, Basilicam S. Petri adivinus; atque in aede Immaculatae Virgini Mariae et Francisco Asisinati sacra, cuius natalis celebrabatur, adstantibus Ven. Fratribus Nostris Cardinalibus Constantino Patrizi et Ludovico de Alteriis et dilcetis filiis Petro Minetti sanctae Fidei Promotore et Dominico Bartolini S. Rituum Congregationis a secretis, ceterisque de more, decrevimus tuto procedi posse ad solemnem canonizationem B. Leonardi , illius Seraphici Patris filii , cuius vestigia tam bene sequutus fuerat.

§. 14. Ad servandam autem in grayissimo hoc negocio agendi rationem a Praedecessoribus Nostris praescriptam, primum universos sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in Consistorio habitu VIII Idus Iunii volventis anni sententiam rogaturi coram Nobis convocavimus, qui B. Leonardi gestis a dilecto filio Ioanne Baptista De Dominicis Tosti, Nostrae Consistorialis Aulae Advocato auditis, Nos ad legitimam Causae huius absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus deinde Litteris a Nostra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores Venerabiles Fratres Episcopi, sed remotissimi quoque Americae, ceterique, qui Orientales plagas incolunt, et cum sancta hac Apostolica Sede communionem habent, de hac re commonerentur, se-

que ad Urbem conferrent, ut Nobis de hac solemni Canonizatione , aliorumque Beatorum viginti quatuor quos illi sociavimus, consilia suppeditarent, quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita, tum ex iis, quae gesta fuerant in publico Consistorio, ut diximus, coram Nobis coacto, VIII Idus Iunii tum ex monumentis a S. Rituum Congregatione, quorum exemplar unicuique tradi voluimus in semipublicum Consistorium coram Nobis coactum convenerunt XVIII Kal. Iulii. Non modo Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi omnes in eamdem sententiam unanimes conspirarunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta in tabularium S. R. E. relata sunt.

§. 15. Ad solemnem hanc Canonizationem celebrandam, Benedicti XIV Antecessoris Nostri exempla sequuti , decrevimus diem XXIX Iunii anno MDCCCLXVII anniversariam faustissimi illius diei, quo Apostolorum Principes in hac ipsa Urbe martyrii palmam receperunt, fidemque ab ipsomet Christo receptam suo sanguine confirmarunt. Putavimus enim depositionis Principum Apostolorum centenariam diem, quae hoc anno, teste Hieronymo Doctore Ecclesiae maximo, recolitur, melius et splendidius non posse celebrari , nisi tot novensilium Sanctorum aucta pompa atque laetitia. Indictis interea ieuniis , statutisque Ecclesiis ad sacras indulgentias Iucrandas, hortati sumus omnes christifideles , ut precibus et obsecrationibus instantes ,

caelestem Nobis opem in tam gravi negotio suppeditarent.

§. 16. Ubi faustissima et exoptata dies advenit, omnes tum saecularis tum regularis cleri Ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique Ven. Fratres Nostri S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi ad numerum quatuor centum et ultra in Vaticanam Basilicam convenerunt, ceu sponsae ritu mirifice ornatam, quibus praeeuntibus, solemni supplicatione eam ingressi sumus. Tunc Ven. Frater Noster Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Ioanne Baptista De Dominicis Tosti, Sacrae Consistorialis Aulae Nostrae Advocato, vota Nobis precesque detulit Sacrorum Antistitum, et universae Societatis Fratrum Franciscalium, praesertim rigidioris observantiae de Urbe, ut B. Leonardum in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio superius memorati Cardinalis Constantinus Patrizi et Ioannes Bapt. De Dominicis Tosti Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus Nos obsecrassent, ut tandem aliquando nostram aperiremus sententiam, primum universae caelestis Aulae praesidio, dein divini Spiritus auxilio, copiosoque lumine implorato, ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Catholicae Fidei et Christianae Religionis incrementum et decus, auctoritate D. N. Iesu Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione praehabita, divina ope saepius implorata, et de Venerabilium Fratrum No-

strorum S. R. E. Cardinalium , Patriarcharum , Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio , praedictum B. Leonardum a Portu Mauritio missionarium Apostolicum Ordinis Minorum sancti Francisci rigidioris observantiae , in sacro Urbis Recessu a S. Bonaventura Sanctum esse decrevimus , definivimus , atque inter Sanctos Confessores adscripsimus. Addidimus insuper illi beatos Iosaphat Kuncewicium Archiepiscopum Polocensem Ruthenici Ritus ex Ordine S. Basilii Magni ; Petrum De Arbues alias Magistrum Epilae , Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae Canonicum regularem S. Augustini ; Nicolaum Pichium Gorcomiensem Ordinis Fratrum Franciscalium aliquosque XVIII in passione socios item Gorcomienses appellatos, omnesque Martyres; Paulum Fundatorem Clericorum regularium excalceatorum a Cruce et passione D. N. I. C. Confessorem ; atque Beatas Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi , tertiariam professam Ordinis minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neapolitana , et Germanam Cousin in oppido Pibrac Tolosanae Dioecesis, virtutibus, Christi imitatione, et prodigiis omnes spectandos. Quos omnes universo catholico orbi venerandos perpetuo proposuimus, atque mandavimus.

§. 17. His omnibus solemni ritu inter Sanctos universalis Ecclesiae relatis, S. Leonardi memoriam quotannis VI Kal. Decembris celebrandam, in martyrologio referri mandavimus, atque omnibus christifidelibus, qui eius exuvias venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragnarum in Domino perpetuo elargiti sumus. Gratiis

deinde Deo Optimo Maximo relatis , Sacrum solenne , in quo ipsorum Sanctorum commemorationem fecimus, operati sumus; laetitiamque cordis Nostri promere cupientes , peracta S. Evangelii lectione , universum Clerum populumque cohortati sumus , ut cum Petro Pauloque novensiles Caelites venerarentur, imitarentur, eosque deprecarentur, ut illos in hisce potissimum Ecclesiae calamitatibus potentes apud Deum mediatores experiamur. Plenaria denique indulgentia omnibus adstantibus peramanter impertita, Apostolicas hasce Litteras omnium S. R. E. Cardinalium manuque Nostra ac sigillo munitas expediri iussimus.

§. 18. Gaudeant omnes in Domino de amplissimo honoris gradu S. Leonardo a Portu Mauritio, a Nobis, quamvis indignis, collato. Is aetate licet proiectus candidam vestem in baptimate acceptam numquam commaculavit. Quas Seraphici Patris tyro severissimas sibi vivendi leges proposuerat, ad unguem servavit. Non sibi solum sed proximorum quoque saluti studuit ; nihil aliud cupiebat quam omnes a mundi deliciis, atque a diaboli fraudibus avertere. Illum imitemur et nos; eius monita audiamus. Easdem, quas nos, percessus est passiones , idem cum immundis spiritibus habuit luctamen, uno verbo omnes saeculi huius aerumnas aequo animo sustinuit; gratiae Dei numquam renuit, eoque veluti invulnerabili clypeo armatus, perpetuam de semetipso retulit victoriam. Imitemur et nos, atque cum Christo beati erimus.

§. 19. Omnibus quae inspicienda erant bene perpensis, certa ex scientia et Apostolicae aucto-


ritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut eorumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in Ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris Litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§. 20. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis, et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire voluerit, aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

 Ego PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



- ✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Velerinus,  
card. Sacri Collegii decanus Mattei , Pro-  
Datarius.
- ✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Ru-  
finae card. Patrizi.
- ✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat,  
Vice-Cancellarius.
- ✠
- ✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de  
Alteriis, S. R. E. Camerarius.
- ✠ Ego Nicolaus episcopus Tusculanus card. Clar-  
elli Paracciani, Brevium a Secretis.
- ✠ Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Ther-  
mas proto-presbyter card. De Angelis , ar-  
chiepiscopus Firmanus.
- ✠

✠ Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Vannicelli Casoni, archiepiscopus Ferrariensis.



✠ Ego Cosmas tituli sanctorum Ioannis et Pauli presbyter card. Corsi, archiepiscopus Pisanus.

✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Coelio presbyter card. Asquini.

✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter card. Carafa de Traiecto, archiepiscopus Beneventanus.

✠ Ego Xystus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario-Sforza , archiepiscopus Neapolitanus.

✠ Ego Iacobus Maria Hadr. Caesareus tituli sancti Silvestri in capite presbyter card. Mathieu, archiepiscopus Bisuntinus.



✠ Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae in Via presbyter card. Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.



✠ Ego Camillus tituli sancti Ioannis ante portam latinam presbyter card. De Petro.

✠ Ego Ioachim tituli sancti Chrysogoni presbyter card. Pecci, archiep. episcopus Perusinus.



✠ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans-Tiberim presbyter card. De Reisach.



- ✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannae presbyter card. Barnabò.
- ✠ Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Silvestri et Martini presbyter card. Antonucci archiep. episcopus Anconitanus et Humanus.
- ✠ Ego Ioseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, Abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.
- ✠ Ego Petrus tituli sancti Marci presbyter card. De Silvestri.
- ✠ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo presbyter card. Sacconi.
- ✠ Ego Michael tituli sanctae Priscae presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- ✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- ✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, Poenitentiarius maior.
- ✠ Ego Ioseph Aloisius tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato Patriarcha Venetiar.
- ✠ Ego Antoninus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- ✠ Ego Ioseph Andreas tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter card. Bizzarri.

- ✠ Ego Ludovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- ✠ Ego Io. Baptista tituli sancti Callisti presbyter card. Pitra.
- ✠ Ego Fr. Philippus Maria tituli sancti Xysti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiensis.
- ✠ Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De Bonnechose, archiepisc. Rothomagen.
- ✠ Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen, archiepisc. Dublinen.
- ✠ Ego Gustavus tituli sanctae Mariae in Transpontina presbyter card. De Hohenlohe.
- ✠ Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Panepenna presbyter card. Bilio.
- ✠ Ego Ioseph sanctae Mariae in Via Lata card. Proto-Diaconus Ugolini.
- ✠ Ego Ioseph sancti Caesarei card. diaconus Bofondi.
- ✠ Ego Iacobus sanctae Agathae ad Suburram card. diaconus Antonelli.
- ✠ Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card. diaconus Roberti.
- ✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- ✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. diaconus Grassellini.
- ✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.

¶ Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card.  
diaconus Pentini.

¶ Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica card.  
diaconus Consolini.

M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Pa-  
racciani.

Loco ¶ Plumbi.

Visa De Curia  
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

## H O M I L I A

HABITA IN BASILICA VATICANA A SANCTISSIMO DOMINO  
NOSTRO PIO PAPÀ IX INTER MISSARVM SOLEMNIA  
DIE XXIX IVNII MDCCCLXVII.

**O**ptatissimus, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, illuxit dies, quo Nobis singulari Dei beneficio datum est saecularia solemnia Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli triumphis sacra concelebrare, ac pluribus divinae nostrae religionis heroibus Sanctorum cultum et honores decernere. Itaque exsultemus in Domino, et spirituali iucunditate laetemur, cum gloriosus recurrat dies summa universi catholici orbis, et huius praesertim nostrae urbis veneratione et gaudio colendus. Hoc enim solemni die Petrus et Paulus Ecclesiae luminaria, Martyres summi, legis Doctores, amici Sponsi, oculi Sponsae, Pastores grægis, mundi custodes ad caelestia regna felici martyrio concenterunt (1). Isti sunt viri, per quos Tibi Evangelium Christi, Roma, resplenduit, et quae eras magistra erroris, facta es discipula veritatis; Isti sunt, qui te regnis caelestibus inserendam multo melias, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima moenium tuorum fundamenta locata

(1) S. Petrus Dam. Serm. 27, de SS. Apost. Petr. et Paul.

sunt. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis, et regia per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena (1). Hi sunt coniuncti Viri habentes splendidas vestes, Viri misericordiae, ac nostri veri patres, verique pastores, qui nos per Evangelium genuerunt. Quis autem Petro gloriosior? qui divino illustratus lumine primus omnium agnovit, omnibusque patefecit altissimum Maiestatis aeternae arcanum, et confitendo Christum Dominum vivi Dei esse Filium, validissima invictaque nobis credendi fundamenta constituit (2). Ipse firmissima est petra, supra quam aeterni Patris Filius Ecclesiam suam tanta soliditate fundavit, ut adversus eam portae inferi prevailere nunquam possint. Ipsi a Christo Domino traditae sunt claves regni caelorum, et suprema commissa potestas, et cura pascendi agnos et oves, confirmandi Fratres, ac universam regendi Ecclesiam; et cuius fides nunquam defectura, neque in suis successoribus, qui in hac Romana Cathedra sunt collocati. Quis beatior Paulo? qui a Domino electus, ut portaret nomen suum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel (3), pro suarum remunerazione virtutum tertium raptus ad caelum. caelestia secreta cognovit, ut Ecclesiarum futurus Do-

(1) S. Leo Serm. 82, al 80 in Natali Apostolorum Petri et Pauli.

(2) S. Maximus Homil. 68, in Natali Apostolorum Petri et Pauli.

(3) Act. Apost. c. 9, v. 15.

ctor inter Angelos disceret , quod inter homines praedicaret (1). Hi beatissimi Petrus et Paulus sacramentum novae legis uno spiritu praedicantes omnia pericula, difficultates, labores, poenas cruciatusque constanter pro Domino perpessi, Christi uoimen et religionem in Gentes invexerunt, et Paganam philosophiam vicerunt, Idololatriam e solio deturbarunt, ac sanctissimis suis gestis, scriptisque evangelicae veritatis lucem longe lateque diffuderunt, cum in omnem terram exiverit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, ac sub unius passione diei doctrinam suam pio sanguine et morte fortissima consecrarint. Itaque, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii , eorumdem Apostolorum gloriam solemni ritu , et maxima laetitia concelebrantes , et sacros eorum cineres, ad quos feliciter stamus, omni veneratione prosequentes, clarissima illorum gesta sermonibus praedicemus, atque in primis eorum virtutes oinni studio imitemur.

Iam vero suinmo quoque gaudio perfundimur, quandoquidem Deus Nobis tribuit hoc felicissimo die Sanctorum cultum , et honores decernere invictis Christi Martyribus Iosaphat Kuncewicio Polocensi Ruthenorum Antistiti, Petro Arbuesio, Nicolao Pichio, eiusque duodeviginti sociis, et binis glorioissimis Confessoribus Paulo a Cruce, Leonardo a Portu Mauritio, ac duabus clarissimis Virginibus Mariæ Franciscæ a vulneribus Domini Nostri Iesu Christi , et Germanac Cousin. Qui omnes etiam si eadem nostra circumdati infirmitate , et peregrini

(1) S. Maximus ibidem.

hic in terris, multisque tribulationibus, ac periculis subiecti, tamen inconcussa in Deum fide ac firmissima spe , et summa caritate incensi , ac pari in proximum dilectione insignes, mortificationem Christi in corpore circumferentes , et conformes facti imaginis Filii Dei, asperrima quaeque pro Christi amore perpessi de carne , mundo , ac saevissimo daemone splendide triumpharunt , ac sanctitatis splendore, mirisque prodigiis catholicam illustrarunt Ecclesiam, et clarissima nobis imitanda virtutum omnium reliquerunt exempla. Nunc vero facti amici Dei in cœlesti Ierusalem induiti stolis albis exsultant in gloria, et inebriantur ab ubertate domus Dei, propterea quod Dominus laetificat eos in gaudio cum vultu suo, et torrente voluptatis potat eos, ac fulgentes sicut sol coronati possident palmarum, et regnant cum Christo in aeternum, Eumque pro nobis exorant, cum de propria immortalitate securi, sint adhuc de nostra salute solliciti.

Humiles igitur, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Deo totius consolationis agamus gratias, quod inter tantas, quibus affligimur, Ecclesiae, civilisque societatis calamitates, et pericula, per hos clarissimos Martyres, Confessores, et Virgines nova ac valida Ecclesiae suae sanctae praesidia, et illustria fidelibus populis virtutum documenta dare sit dignatus. Summo autem studio insignia horum Sanctorum vestigia sectemur, et siccirco eiusdem fidei, spei , caritatisque in Deum spiritu magis in dies inflammati terrestria despiciamus, et cœlestia unice spectemus, atque alacriori usque pede per semitas Domini ambulemus , et abnegantes saecularia de-

sideria sobrie , iuste , ac pie vivamus , et omnes unanimes , compatientes , fraternitatis amatores , misericordes, modesti, humiles (1) per bona opera certam nostram vocationem, et electionem facere studeamus.

Sed iam liceat Nobis cum omni humilitate, et fiducia levare oculos Nostros ad Te, Domine Deus Noster , qui dives in misericordia omnipotentiam Tuam parcendo maxime, et miserando manifestas. Intuere propitius et respice Ecclesiam Tuam sanctam tot undique iactatam procellis, et humanam societatem tot agitatam turbinibus, ac per merita Apostolorum Tuorum Petri et Pauli , et istorum Martyrum , Confessorum et Virginum averte iram Tuam a nobis, et multiplica super nos misericordiam tuam , et fac omnipotenti Tua virtute , ut Ecclesia de suis hostibus triumphans ubique terrarum magis in dies prospere, feliciterque propagetur, et omnes populi, cunctis depulsis erroribus, cunctisque vitiis profligatis, occurrant in unitatem fidei , et agnitionis Filii Tui Domini Nostri Iesu Christi , ac divina Tua dextera urbem hanc ab omnibus inimicorum insidiis , conatibusque tuere , ac defende.

(1) S. Petr. Epist. I. c. 3, v. 8.

VENERABILES FRATRES

**P**er iucunda quidem, licet a fide et devotione vestra prorsus expectanda, Nobis fuerat nobilis illa concordia, qua, seiuncti ac dissiti, eadem tenere, eadem asserere profitebamini, quae Nos docueramus; et eosdem, quos damnaveramus, errores in religiosae civilisque societatis exitium invectos execrari. Verum multo iucundius Nobis fuit haec ipsa discere ex ore vestro, et nunc rursum a congregatis vobis explicatus et solemnius accipere; dum iis amoris et obsequii officiis Nos cumulatis, quae mentes affectusque vestros luculentius verbis ipsis aperiant. Cur nam enim tam prono animo obsecundastis desiderio Nostro, omnique incommodo posthabito, ad Nos e toto terrarum orbe convolastis? Scilicet explorata vobis erat firmitas Petrae, supra quam aedificata fuit Ecclesia, perspecta vivifica eius virtus; nec vos fugiebat, quam praeclarum utrique rei testimonium accedat e christianorum heroum canonizatione. Duplex igitur hoc festum celebraturi confluxistis, non modo, ut sacris hisce solemnibus splendorem adderetis, sed ut, universam veluti fidelium familiam referentes, praesentia vestra non minus, quam diserta professione testaremini, eamdem nunc, quae duodeviginti ab hinc seculis, vigere fidem, idem caritatis vinculum omnes nectere, eandem virtutem exerci ab hac

**Cathedra veritatis.** Placuit vobis commendare pastoralem sollicitudinem nostram, et quidquid pro viribus agimus ad effundendam veritatis lucem, ad disiiciendas errorum tenebras, ad perniciem depellendam ab animabus Christi sanguine redemptis; nempe ut e coniunctis proprietatum magistrorum sententiis ac vocibus, confirmetur christianae gentes in obsequio et amore erga hanc Sanctam Sedem, in eamque acrius mentis oculos intendant. Corrogatis undique subsidiis huc convenistis civilem nostrum sustentaturi principatum tanta oppugnatum perfidia; ideo sane ut splendissimo hoc facto, et per collatae catholici Orbis suffragia necessitatem eius ad liberum Ecclesiae regimen assereretis. Dilectum vero populum Romanum, indubiaque et clarissima eius obsequii in Nos et dilectionis indicia meritis laudibus prosequenda duxistis; quo et alacriores ipsi adiiceretis animos, et eum vindicaretis a conflatis calumniis, et foedam illis sacrilegæ proditionis notam inureretis, qui, felicitatis populi obtentu, Romanum Pontificem e solio perturbare conantur. Et dum arctioribus mutuae caritatis nexibus per hunc conventum obstringere studieritis omnes orbis Ecclesias; hoc etiam praestitistis, ut uberiore evangelico spiritu repleti ad Beatissimi Petri Principis Apostolorum et Pauli doctoris gentium cineres, fortiores inde discederetis ad perrumpendas hostium phalanges, ad tuenda religionis iura, ad unitatis studium creditis plebibas efficacius ingerendum. Quod sane votum apertius etiam se prodit in eo communi Concilii occurrenti desiderio, quod omnes non modo

perutile sed et necessarium arbitramini. Superbia enim humana, veterem ausum instauratura, iamdiu, per commentitium progressum, civitatem et turrim extruere nititur, cuius culmen pertingat ad caelum, unde deum Deus ipse detrahi possit. At Is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium linguas ita confusurus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo obiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda civilis consortii conditio, perturbatio rerum omnium, in qua versamur. Cui sane gravissimae calamitati sola certe obici potest divina Ecclesiae virtus, quae tunc maxime se prodit, cum Episcopi a Summo Pontifice convocati, eo praeside, conveniunt in nomine Domini de Ecclesiae rebus acturi. Et gaudemus omnino, praevertisse Vos hac in re propositum iamdiu a Nobis conceptum commendandi sacrum hunc coetum eius patrocinio, cuius pedi a rerum exordio serpentis caput subiectum fuit, quaeque deinde universas haereses sola interemit. Satisfacti propterea communi desiderio, iam nunc nunciamus, futurum quandocumque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis huius privilegii ipsi collati memoria recolitur. Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut amplissimos e saluberrimo isto consilio fructus percipere valeamus. Interim vero Ipsa validissimo suffragio suo praesentibus necessariam adjunctis opem nobis imploret, Deusque eius precibus exoratus misericordiae suae divitias in Nos universamque Ecclesiam effundat. Nos certe amantissimi gratissi-

inique animi sensu , non extingendo , compulsi , enixe Vobis adprecamur a Deo quidquid spirituali emolumento Vestro, quidquid plebium Vobis commissarum proiectui, quidquid religionis et iustitiae tutelae, quidquid civilis societatis tranquillitati benevertere possit. Et quoniam aliquot e Vobis a peculiaribus populorum suorum necessitatibus coactos, citius a Nobis discessuros esse comperimus; iis, si temporis angustiae singulos Nobis complecti non sinant, in praesentiarum omnia ominamur secura, et effuso cordis affectu bene precamur. Universis vero supernorum omnium bonorum copiosique divini auxilii auspicem, simulque praecipuae benevolentiae Nostrae et grati animi testem, Benedictionem Apostolicam ex imo pectore deproptam peramanter impertimus.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XII IULII MDCCCLXVIII.

VENERABILES FRATRES

**C**um ex hac vita migraverit die nona Ianuarii superioris anni bonae memoriae Gregorius Petrus Patriarcha Ciliciae Armeniorum, graves de vacantis illius Patriarchalis Ecclesiae regimine exortae sunt controversiae. Nos spirituali eiusdem Patriarchatus bono consulere vehementer cupientes, ad huiusmodi componendas controversias elegimus Vicarium Apostolicum eiusdem Patriarchatus Ven. Fratrem Melchiorem Nasarian Mardensem Armeniorum Antistitem. Ac postea illius nationis Episcopi Nostro permissu in synodum convenerunt ad novum Patriarcham eligendum: et huic conventui Apostolica Nostra Auctoritate munitus adfuit Ven. Frater Iosephus Valerga Patriarcha Hierosolymitanus, ac Noster Pro-Delegatus Apostolicus in Syria. Quo in conventu die decima quarta Septembris superioris anni in Armeniis aedibus Deiparae Virgini in caelum evectae sacris Montis Libani habito, iidem Episcopi cunctis suffragiis Venerabilem Fratrem Antonium Hassun Archiepiscopum Primatem Armeniorum Constantinopolitanum tam insigni dignitate ornandum declaraverunt. Obsequentissimis autem suis litteris iidem Episcopi humiliter enixeque a

Nobis postularunt , ut huiusmodi electionem confirmare vellemus; ac simul exposuerunt, hanc electionem ab ipsis factam in ea profecto spe , ut Patriarchalis ac Primalis Armeniorum Sedes canonice coniungerentur. Evidem hanc earumdem Sedium unionem catholici Constantinopolis Armenii saepe expetiverunt, eamque a felicis recordationis Gregorio XVI Praedecessore Nostro , et a Nobis efflagitarunt. Sed graves iustaeque causae obstiterunt , quominus haec Armeniorum vota possent expleri. At vero anno millesimo octingentesimo quinquagesimo nono permisimus , ut quando Patriarchalis Ciliciae Sedes suo fuisset destituta Pa-store, novi Patriarchae intermitteretur electio, quo eiusdem nationis Sacrorum Antistites ante eiusmodi electionem de earumdem Sedium coniunctione libere suam sententiam emittere possent. Iam vero rebus omnibus a Nostra Congregatione christianae fidei propagandae pro Orientalium Ecclesiarum negotiis accurato examine perpensis, de eiusdem Congregationis consilio, tum electionem seu postulationem Venerabilis Fratris Antonii Hassun in Ciliciae Patriarcham confirmandam, tum Patriarchalis et Primalis Armeniorum Sedis coniunctionem ab ipsis Ciliciae Episcopis , et ab Armeniis Constantinopolis catholicis tam vehementer exoptatam peragendam existimavimus. Hac autem de re Apostolicas Nostras sub Plunbo Litteras expediri mandavimus, in quibus copiosius omnia exponentur. Atque id eo libentius agimus , quod Venerabilis Frater Antonius Hassun iamdiu eximia suae religionis , pictatis ac sanae , salutarisque doctri-

nae, ac erga Nos et hanc Petri Cathedram fidei, et observantiae, atque episcopalnis in re catholica, et Ecclesiae libertate tuenda fortitudinis specimina praebuerit, et iecirco Patriarchali honore dignus, et ad ecclesiasticam praesertim disciplinam instaurandam idoneus. Accedit etiam, ut omnes Armenii Ciliciae Episcopi cum summa sui nominis laude etiam voce Nobis clare aperteque declaraverint, sibi summopere cordi esse, et huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerere, ac Nostrae et eiusdem Sanctae Sedis voluntati obsequi, et ea omnia agere, quae a Nobis et ab eadem Sede ipsis fuerint commissa, ac demandata.

Itaque in eam profecto spem erigimur fore, ut, Deo bene iuvante, in Ciliciae Patriarchatu, opera ac studio eiusdem Venerabilis Fratris Antonii eiusque Coepiscoporum, catholica religio nova in dies incrementa suscipiat, et ecclesiastica quotidie magis efflorescat disciplina. Evidem nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, gravissima et nunquam satis lugenda damna, quae in Orientales Ecclesias ex funestissimo schismate redundarunt, quod ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seionxit et separavit. Quibus damnis haec Apostolica Sedes nunquam destitit opportuna adhibere remedia. Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem quoad dogmaticam doctrinam, divina adspirante gratia, redierint, tamen rerum ac temporum vicissitudine nondum in omnibus illis Ecclesiis potuit omnino restitui ecclesiastica disciplina, ex cuius corruptela et despectu errores et haereses solent oriri. Nostri certe Praedecessores

Orientalium Ecclesiarum ritus fidei morumque sanctitati et ecclesiasticae honestati minime adversos integros, inviolatosque servari voluerunt ; ac Nos ipsi id confirmavimus Nostris Encyclicis Litteris (1) die sexta Ianuarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo ad Orientales datis. At necesse omnino est , ut ab omnibus Sacrорам Antistitibus, et Sacerdotibus liturgica propriae Ecclesiae disciplina sedulo observetur , et nunquam illa singulorum Antistitum arbitrio relinquatur ; sed determinata sit ab huius Apostolicae Sedis auctoritate. Nemini certe unquam licuit , aut licet , ipsam liturgiam ullo modo vel leviter immutare, innovare , immundare , quemadmodum praesertim statuerunt , ac docuerunt suis Apostolicis Litteris Benedictus decimus quartus (2) et Gregorius decimus sextus (3), quas Litteras et regulas in illis praescriptas supraquoque Nostra Apostolica auctoritate confirmamus, et ab omnibus Orientalibus Ecclesiis religiosissime observari mandamus.

Cum autem minime ignoremus, in ecclesiastico Orientalium Ecclesiarum regimine quaedam esse , quae ob anteacti temporis calamitatem incerta adhuc manent, vel minus apte sunt constituta, veluti in memorata Nostra Encyclica Epistola ad Orientales data monuimus, tum Nos de illarum Ecclesiarum bono vehementer solliciti omni certe studio aderimus, ut ad sacrorum canonum normam, servatis

(1) In suprema die 6 Ianuarii 1848.

(2) Const. Demandatam die 24 Decembris an. 1743.

(3) Inter gravissimas die 3 Februarii an. 1832.

Sanctorum Patrum institutis , rite omnia compo-  
 nantur, et ordinentur. Et quoniam inter praecipua  
 ecclesiasticae disciplinae capita in primis est Epi-  
 scoporum electio, ex qua Ecclesiae bonum ac de-  
 cus, et spiritualis fidelium populorum salus atque  
 utilitas maxime pendet , iccirco in hoc gravissi-  
 mum sane negotium curas omnes, cogitationesque  
 Nostras intentissimo studio convertendas esse cen-  
 suimus. Etenim cum ab ipso Christo Domino in  
 Beatissimi Petri Apostolorum Principis persona fue-  
 rit Nobis commissa suprema cura et potestas uni-  
 versam pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam,  
 tum nihil certe Nobis potius esse potest ac debet,  
 quam ut singularem diligentiam ac vigilantiam con-  
 tinenter adhibeamus, ut digni elegantur Episcopi.  
 Atque iccirco ipsis Venerabilibus Fratribus Armeniis  
 Sacrorum Antistitibus iam manifestavimus , quae  
 Nostra sit voluntas circa Episcoporum electionem.  
 Volumus enim , ut ab eisdem Patriarcha et Epi-  
 scopis tres Nobis proponantur idonei ecclesiastici  
 viri , quo ex illis Nos dignorem eligere , et va-  
 cantibus episcopalibus Sedibus providere valeamus.  
 Haec autem dum pro Armenis decernenda duxi-  
 mus, haud obliti sumus reliquorum Patriarchatum  
 Orientalis Ritus , pro quibus etiam hoc gravissi-  
 mum de Episcoporum electione negotium quam-  
 primum moderandum curabimus. Quod quidem a  
 Nobis initum consilium Patriarchis Maronitarum ,  
 et Greco-Melchitarum , aliisque Orientalibus Epi-  
 scopis Romae in praesentiarum degentibus nuper-  
 rime manifestum fecimus. Siquidem ad excelsam  
 episcopalem dignitatem ii tantum eligi debent, qui

dotibus ab Apostolo Paulo per suas ad Timotheum, ac Titum epistolas singillatim commemoratis, et omnino praescriptis sint ornati, quique ad Sacrorum Canonum normam vitae integritate, morum gravitate, salutaris doctrinae laude, et catholicae religionis, animarumque salutis zelo spectati, non sua, sed quae Christi sunt unice quaerant, ac in suis Dioecesibus assidue residentes, illas propria ordinaria iurisdictione regant, gubernent, et clericum, populumque fidem sibi concreditum qua voce, qua opere, qua exemplo, ac divini praesertim verbi praeconio, Sacraementorum administratione ab venenatis pascuis arceant, ad salutaria propellant, ac per semitas mandatorum Dei indesinenter conducant. Ut autem omnia in Ciliciae Patriarchatu prospere dirigantur, iussimus, eiusdem Patriarchatus Episcopos penes eorum Patriarcham synodum quanuprimum habere, et synodi acta ac decreta ad eamdem Congregationem Fidei propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam mittere, vetita interim eorumdem executione, donec ab eadem Congregatione fuerint accurato examine perpensa, ac supremo Nostro iudicio et auctoritate approbata. Neque omittemus per eamdem Congregationem novo Patriarchae, et Episcopis Armeniis Ciliciae opportuna dare monita, ac instructiones ad maiorem illorum fidelium utilitatem quotidie magis procurandam. Ea profecto spe nitimur fore, ut Patriarcha idem, eiusque Coepiscopi ut omnibus gravissimi ministerii partibus strenue impletendis nihil unquam intentatum relinquant, ut in omni patientia, doctrina et caritate miseros er-

rantess ex perniciosissimo schismate ad sanctac matris catholicae Ecclesiae sinum reducant.

Nunc vero, cum de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium eiusdem Congregationis Fidei propagandae negotiis Ecclesiarum Orientalium praepositae consilio statuerimus, Venerabilem Fratrem Antonium Hassun Patriarcham Ciliciae Armenorum eligere, sanato, si opus fuerit, quocumque defectu etiam substanciali, luculentius paternae Nostrae caritatis testimonium illi exhibere optantes, eum sacro Pallio de corpore Beati Petri sumpto decorare, ut postulat, atque hoc pastoralis officii plenitudinis insigne ei Nos ipsi imponere constituimus. Non dubitamus, quin haec singularis Nostrae benevolentiae significatio gratissima sit ipsi Patriarchae, et inclytæ catholicae Armeniorum Nationi, quam haec Apostolica Sedes omni affectu semper est prosequuta et prosequitur.

*Quid vobis videtur?*

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra commemoratae Sedis Constantinopolitanae a felicis recordationis Pio VIII Decessore Nostro erectae Primatiale et Archiepiscopalem titulum extinguimus, et ecclesiasticam eiusdem Sedis provinciam cum Patriarchatu Ciliciae Armenorum perpetuo coniungimus: confirmamus, et approbamus electionem, seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Armeniis Ciliciae factam de persona Venerabilis Fratris

Antonii Hassun, Ciliciae Patriarcham Armenorum  
constituimus, praeficientes eum in Patriarcham et  
Pastorem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae , prout  
in Decreto et Schedula Consistorialibus exprimetur,  
contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Pa~~†~~tris et Fi~~†~~lii et Spiritus ~~†~~  
Sancti. Amen.

## LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**R**eversurus ex hoc mundo ad Patrem Unigenitus  
 Dei Filius Ecclesiae Suae divinam ordinationem ita  
 constituit, ut, quemadmodum B. Leo PP. I. De-  
 cessor Noster monuit (1), cum inter beatissimos  
 Apostolos in similitudine honoris quaedam fuerit  
 discretio potestatis, omniumque pars esset electio,  
 uni tamen scilicet Beatissimo Petro datum fuerit,  
 ut ceteris praemineret. Huic enim solo a Christo  
 Domino suprema potestas fuit attributa pascendi  
 nedum agnos verum et oves, hoc est regendi et  
 gubernandi universam Ecclesiam, ut iam in grege  
 Christi non sit, qui Petrum Pastorem non agnoscat.  
 « De qua forma, ut ait idem B. Leo, Episcoporum  
 quoque est orta distinctio et magna dispositione  
 provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent;  
 sed essent in singulis provinciis singuli, quorum  
 inter fratres haberetur prima sententia; et rursus  
 quidam in maioribus urbibus constituti sollicitu-  
 dinem susciperent ampliorem, per quos ad unam

(1) Epist. ad Anastasium Tessalonicens.

» Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflue-  
» ret, et nihil umquam a suo Capite dissideret ». Quibus sane verbis Metropolitarum ac Patriarcharum ecclesiastica institutio aperte designatur.

Hinc factum est, ut in iis tantum amplioribus urbibus patriarchalis dignitas antiquitus constiterit, quarum Ecclesias B. Petrus fundaverat. Hinc factum est, ut Patriarchis ipsis vix electis nil magis cordi fuerit, quam confirmationis litteras ab hac B. Petri Sede obtainere, per quam sciebant, largiente Domino, omnium solidari dignitatem sacerdotum et ab eadem ipsam patriarchalem auctoritatem promanare: hinc factum est, ut graviores ac difficiliores causae tani fidei quam disciplinae ad eamdem Sedem deferrentur, quae sola cunctas haereses etiam ante Conciliorum generalium definitiones auctoritate Sua interemit, et universalis Ecclesiae disciplinae, cum opus fuit, latis etiam legibus providissime consuluit. Atque hanc constitutionem semper in Ecclesia fuisse religiosissime custoditam, universalium Conciliorum acta, SS. Patrum institutiones, atque universae Ecclesiasticae historiae monumenta tam perspicue demonstrant, ut nemo ante funestissimum Orientis schisma praesumpserit hanc supremam Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium revocare.

Etsi autem schisma illud omnes ferme Orientales Ecclesias ab unitatis centro divulserit, haud tamen potuit hanc veritatem Catholicam in Ecclesia obscurare, vel saltem ex Orientalium animis penitus eradicare. Etenim praeterquamquod innumerabiles gentes in agnitionem veritatis ex idolo-

latriae vel haereseos tenebris vocatae ad hanc Romanam Ecclesiam propter potentiores principaliatatem undique convenerunt, aliaeque in dies conveniunt, ipsae etiam Orientalium Ecclesiae, quoties ad bonam frugem, divina aspirante gratia, reversae sunt, primatum nedum honoris verum et iurisdictionis B. Petro Eiusque in Romana Cathedra successoribus a Iesu Christo Domino Nostro attributum solemniter professae sunt. Quem primatum, licet a vetustioribus etiam Conciliis et ab universa Ecclesia semper agnatum et summo in honore habitum, oecumenica Synodus Florentina, in qua Graeci sacrorum Antistites cum Latinis convenere, solemni dogmatico decreto asseruit, ut magis magisque inexcusabiles fierent qui tam perspicuam veritatem vellent inficiari.

Atque utinam hoc fidei Christianae dogma Orientales Antistites constanter tenuissent ! Neque enim eorumdem Ecclesiae in miserrimam illam conditionem cecidissent, in qua post conflatum vel instauratum schisma versantur. Siquidem praeter asperrimas calamitates quae earumdem defectionem ab hac Apostolica Sede consequutae sunt, etiam vigor canonum, et ecclesiasticae disciplinae honestas, et sacrae hierarchiae ordo et maiestas apud eas miserrime defecerunt. Et inscrutabili Dei iudicio factum est, ut Antistites earumdem Ecclesiarum, qui Supremi Ecclesiae Pastoris divinitus institutam auctoritatem contempserunt, laicorum quin et infidelium iugo premantur, ut neque ordinaria atque immediata Episcoporum iurisdictione in suas dioeceses, neque Patriarcharum in suos Epi-

scopos canonica auctoritas sarta tecta manserit : quos contra monitum Apostoli suis cleris praeter canonum statuta dominantes, clerus ipse ac populus contra eorumdem canonum statuta vel a sua dignitate deiiciunt vel eidem renunciare nunquam sati lugendo exemplo audacter compellunt.

Tantam infelicitatem Orientalium Ecclesiarum miserati Romani Pontifices Praedecessores Nostri nihil intentatum reliquerunt, ut aberrantes oves in unicum Christi ovile reducerent. Quod assequi conati sunt plurimis datis ad Orientales literis etiam encyclicis , conciliis etiam generalibus celebratis , ac potissimum missis ad Orientales plagas Apostolicis viris , quorum sudore , laboribus , atque aerumnis vineae illae olim florentissimae, tandem aliquando resflorescerent. Quod si curis atque laboribus cumulate non respondit fructus, haud tamen res in irritum cessit: siquidem multi agnito errore, schismate eiurato ad Ecclesiae unitatem reverti festinaverunt , quos inter , ut ceteros hic praetereamus, Armenii recensendi sunt. Etsi autem propter humananam infirmitatem, hominum nequitiam ac temporum acerbitatem haud semel eorum Antistites in errorem reversi fuere , ex ipsis tamen Armeniis non defuerunt praeclarissimi viri, qui divina opere suffulti Catholicam veritatem et unitatem restituendam curarent. Talis fuit Abrahamus Petrus primus, quem multis aerumnis pro Catholica fide probatum Benedictus PP. XIV Decessor Noster Patriarcha in Ciliciae renunciavit ; quem deinde non interrupta Patriarcharum series huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentium subsequuta est. Praeclarum quoque

fidei specimen exhibuerunt Armeni Constantinopolim finitimasque provincias incolentes , qui licet persequutionibus exagitati, adduci tamen nunquam potuere ut a Catholica fide recederent , pro qua asperrima quaeque perpeti non dubitaverunt.

Placuit tandem Omnipotenti Deo hisce malis finem imponere: qui dans vocem virtutis inclytis Christianorum Principum Legatis , eam mentem Summo Turcarum Imperatori iniecit, ut Catholicos Armenios a schismaticis omnino separaret, eosque ab omni, qua antea tenebantur erga schismaticum Patriarcham subiectione , obedientia , parendique obligatione, vel sacris, vel civilibus in rebus perpetuo eximeret.

Tunc reddita Catholicis Armeniis ecclesiastica libertate, placuit sa. mem. Pio Papae Octavo Decessori Nostro Primatialem atque Archiepiscopalem Armeniorum Sedem Constantinoli erigere Apostolicis litteris. « Quod iamdiu » , die sexta Iulii anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo sub annulo Piscatoris expeditis, eamque huic Beatisimi Petri Cathedrae arctius coniungere, ut quo magis illi adhaereret, eo firmius et fructuosius in catholicae veritatis professione permaneret atque proficeret. « In Petro enim , uti iam memoratus » Sanctus Leo (1) docuit, omnium fortitudo solidatur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, » ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, » per Petrum Apostolis ceteris conferatur » .

Re autem Catholica per memoratae Sedis Pri-

(1) Serm. 3 in Annivers. Assumpt. Suae.

matialis institutionem sic opportune constituta , potuimus Nos post aliquot annos episcopales quoque Sedes erigere (1) quarum Antistites Constantinopolitano Armenorum Archiepiscopo Primati suffragarentur. Quin etiam Hispahanensem Armenium Episcopatum, extra fines Constantinopolitanae ecclesiasticae provinciae in Perside a Nobis erectum, eiusdem Primatis suffraganeum provisoria ratione decrevimus (2), donec, catholicorum numero, Deo iuvante aducto , opportuniori ratione providere liceret.

Etsi vero tam feliciter Armeniis Constantinopolitanae provinciae consultum fuisse, iisdem tamen satius esse videbatur , Primatalem Constantinopoleos et Patriarchalem Ciliciae Sedes in unum coniungi, quam unionem a fel. rec. Gregorio Papa Sextodecimo etiam Praedecessore Nostro et a Nobis praefati Armenii non semel efflagitaverunt. Sed graves iustaeque causae obstiterunt, quominus haec eorum vota possent expleri. Novissime autem post obitum bo. me. Gregorii Petri Octavi postremi Ciliciae Patriarchae, Episcopi eiusdem Patriarchatus synodaliter convenientes ad Successoris electionem peragendam in eamdem sententiam devenerunt , atque huic fini assequendo Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Hassun hactenus Archiepiscopum Primatem Armeniorum Constantinopoleos in Patriarcham Ciliciae elegerunt seu postulaverunt,

(1) Litt. Apostol. *Universi* 30 April. 1850 - *Assidua*  
9 Maii 1865.

(2) Litt. Apostol. *Ad Supremum* 30 April. 1850.

Nos humillime obsecrantes , ut nedum hanc electionem confirmare, verum et memoratam coniunctionem earumdem Armeniarum Sedium indulgere dignaremur , et hac ratione Catholicis Armeniis decus atque ordinem unitatis tam quoad iurisdictionem quam circa disciplinam tribueremus.

Re itaque per Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationis christianaæ Fidei propagandæ pro Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositæ accurato examine perpensa, Nos Armeniorum votis annuendū esse censuimus.

Quapropter , exorato ad tanti momenti negotium definiendum divinae gratiae praesidio, ad laudem et honorem Omnipotentis Dei et Sanctissimæ Genitricis Dei Mariae sine labe conceptæ ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Catholicae Fidei exaltationem, Apostolica qua pollemus in universam Ecclesiam auctoritatē , tenore praesentium extinguiimus et abolemus titulum Primatiæ atque Archiepiscopalem, quo memoratus Pius Praedecessor Noster supradictis Apostolicis litteris Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam decoravit. Deinde pari auctoritate Constantinopolitanam Ecclesiasticam Armenorum Provinciam Patriarchatui Ciliciae perpetuo unimus ; mandantes, ut novus Patriarcha , eiusque Successores titulo fruantur Patriarcharum Ciliciae Armenorum : ut iidem in Urbe Constantinopolitana resideant, eamdemque Constantinopolitanam Ecclesiam Ordinaria iurisdictione gubernent. Volumus autem ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus coerceatur ,

quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatus Constantinopolitanus in praesentiarum continentur.

Quo vero haec ferme nova Patriarchatus Armenii constitutio in bonum cedat animarum, atque ut gravissima damna, quae ex incerta vel minus apte constituta ecclesiastica disciplina solent derivari, propulsentur atque arceantur, Motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine praecipua quaedam eiusdem disciplinae capita (salvis tamen ritibus Orientalium a Sanctis Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis) in memorato Patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda tenore quoque praesentium constituimus atque sancimus.

Ac primo quidem praetensum quoddam Capitulum, quod ante triennium a nonnullis Armeniis presbyteris primo expetitum defunctus Patriarcha Gregorius Petrus Octavus anno Domini millesimo octingesimo quinquagesimo primo, uti accepimus, illegitime erexerat, cui etiam quaedam praetensa iura seu privilegia attributa fuerant episcopali quin et patriarchali dignitati iniuriosa, itemq; alia praetensa capitula, si quae fortasse intra fines eiusdem Patriarchatus uti supra instituta sint, predicta Nostra Apostolica auctoritate abolemus; prohibentes, ne in posterum similia capitula in Armenio Patriarchatu umquam instituantur.

Vacante Sede Patriarchali, nemini umquam, qui episcopali charactere non fulgeat, fas sit suffragium ferre in electione Vicarii, qui vacantem Patriarchatum gubernet atque administret.

In electione autem Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi, exclusis omnino Clericis et Sacerdotibus, qui episcopali charactere non pollent. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem possit habere quovis quaesito colore vel praetextu.

Porro electum Patriarcham neque, uti aiunt, inthronizari, neque ullum ius aut iurisdictionem, ne procuratorio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius eiusdem electio seu postulatio a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis eiusdem fuerint expeditae, sublata qualibet contraria consuetudine.

Eidem Patriarchae, quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licet Episcopos consecrare nec convocare concilium, nec chrisma confidere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare antequam ab Apostolica Sede sacrum Pallium obtinuerit.

Praedicto autem Pallio Patriarcha uti tantum poterit in Missarum solemnibus intra fines et in ecclesiis sui Patriarchatus sequentibus dumtaxat diebus; videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in festis Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis Domini, Epiphaniae eiusdem, Dominicac in palmis, Feriae quintae in Coena Domini, Sabbathi Sancti, Dominicae Resurrectionis cum duabus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, Sacratissimi

**Corporis Christi**, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae semper Virginis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis eiusdem; quibus id humillime postulante praefato Venerabili Fratre Nostro Antonio Hassun electo seu postulato Patriarcha Armeniorum Ciliciae, addimus festum Immaculatae Conceptionis eiusdem Dei Genitricis Mariae ; item in festis Nativitatis Sancti Ioannis Baptiste et Omnium Sanctorum, nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in praecipuis Ecclesiae suae festivitatibus, in Ordinationibus clericorum, in consecrationibus Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae quam dedicationis ecclesiae.

Sacra limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli singulis quinquenniis Patriarcha personaliter et per se ipsum visitabit, Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad patriarchatus sui statum pertinentibus ; eiusdemque monita et mandata humiliter excipiet ac diligenter exequetur. Possessiones vero pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam , sive ad alias quascumque Ecclesias , vel loca pia sui Patriarchatus non poterit idem Patriarcha vendere , aut donare, vel oppignorare , aut de novo infeudare , vel alio quocumque modo alienare , neque assentiri, ut a quovis alienentur, inconsulto Romano Pontifice, secundum formam iuramenti, quod electi Patriarchae Orientalis ritus in sua promotione emittere tenentur.

Verum nihil magis animum Nostrum sollicitat atque angit, quam provida Episcoporum electio, a qua praecipue pendent felicitas populorum, ordo ecclesiasticae disciplinae, atque aeterna animarum salus. Animo igitur assidue recolentes, quod sanguinem ovium Christi, quae peribunt ex malo regimine pastorum negligentium, et sui officii immemorū, de manibus Nostris sit requisitus Dominus Noster Iesus Christus, qui humilitati Nostrae universae Ecclesiae, quanta illa est, regimen et sollicitudinem demandavit, ea quae sequuntur, circa electionem Episcoporum Armenii Patriarchatus, pro Apostolici Nostri ministerii officio ac de Nostrae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus atque decernimus.

Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodus indicat universorum Episcoporum eiusdem Patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et Episcopis synodaliter congregatis tres idonei Ecclesiastici viri, collatis consiliis, Romano Pontifici pro tempore existenti proponantur, ut ex illis dignorem et magis idoneum eligere, et vacanti Episcopali Sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere studeant, ne umquam cogamur Nos vel Successores Nostri pro eiusdem Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere, et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere

non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes una cum memorato Patriarcha in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem ut universa acta eiusdem Synodi ad praefatam Congregationem de Propaganda Fide Orientalium Ecclesiarum Negotiis praepositam per nostrum et huius Sanctae Sedis Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro et Successorum Nostrorum iudicio subiiciantur.

Dum autem haec pro Armeniorum Antistitum electione decernimus, haud oblivisciūr reliquorum Patriarchatum ritus Orientalis, pro quibus etiam hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium quamprimum moderandum curabimus, ut iam venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis Maronitarum et Melchitarum, aliisque Orientalibus Praesulibus Romae in praesentia commorantibus palam ediximus.

Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane, si quid contra praemissa a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: ac reservantes nobis et Successoribus Nostris ea in posterum sanctire, quae in memorato Ciliciae Patriarchatu pro temporum, locorum ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

Decernimus quoque praesentes Nostras litteras semper et quandocumque validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et

obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; quin ullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari aut impugnari possint; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae Apostolicae regula « De iure quae sito non tollendo » ac quibusvis aliis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis; dictarumque Ecclesiarum Patriarchalis Ciliciae et Primatialis Constantinopoleos etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis atque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam insolitis clausulis et decretis concessis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide harum quoque serie Motu pari derogamus, certisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae extinctionis, unionis, abolitionis,

constitutionis, prohibitionis, inhibitionis, praescriptionis, praecepti, mandati, decreti, voluntatis, intentionis, reservationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXVII, IV Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno vigesimo secundo.

**FRANCISCUS VICI SUBDATARIUS    N. CARD. PARACCIANI CLARELLI**

**Visa de Curia  
D. Brutti**

**Loco  Plumbi**

**I. Cugnonius**

## LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

**V**en. Fratri Antonio Petro Hassun nuper Armenorum Archiepiscopo Primati Constantinopolitano in Patriarcham Ciliciae Electo seu postulato salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam , illud imprimis postulat, ut Ecclesiis omnibus, praesertim autem patriarchalibus , dignos ac vere idoneos pastores praeficiamus , qui populum sibi concreditum qua voce , qua opere , qua exemplo ab venenatis pa scuis arceant, ad salutaria propellant, ac per semitas mandatorum Dei indesinenter conducant.

Sane vacante patriarchali Ecclesia Ciliciae Armenorum, cui novissime praesidebat bo. me. Gregorius Petrus VIII , qui extra Romanam Curiam naturae debitum persolvit , Ven. Fratres Nostri Episcopi Catholici eiusdem Patriarchatus in Armeniam Ecclesiam S. Mariae in caelum Assumptae Montis Libani synodaliter convenientes , praeside Ven. Fratre Nostro Iosepho Valerga Patriarcha Hierosolymitano, ac Nostro et huius S. Sedis Ap-

stolicae in Syria Pro-Delegato , Te hactenus Archiepiscopum Primatem Armeniorum Constantino-poleos in suum Patriarcham elegerunt seu postulaverunt, Petrum IX. appellantes; datisque ad Nos obsequentissimis litteris rogaverunt, ut praedictam postulationem admittere vellemus, quam a se factam fuisse professi sunt, ut hac ratione facilius a Nobis indulgeretur iamdiu ab Armeniis expetita coniunctio Primalis illius sedis cum memorato Ciliciae Patriarchatu. Quorum votis annuentes , aliis Apostolicis litteris hac ipsa die sub plumbo expeditis , primatialem atque archiepiscopalem titulum praedictae Constantinopolitanae Sedis extinximus, eiusque ecclesiasticam provinciam praesato Patriarchatui perpetuo univimus, latis etiam non-nullis legibus ad instaurandam eiusdem disciplinam omnino necessariis.

Cum vero probe noscamus, Te iamdiu eximia Tuae religionis, pietatis, ac sanae salutarisque doctrinae et erga Nos et hanc Petri Cathedram fidei et observantiae, atque Episcopalis in re catholica et Ecclesiae libertate tuenda fortitudinis specimina praebuisse ; simulque attentes quod Fidei Catholicae professionem iuxta formam a sa. me. Urbano PP. VIII. praedecessore Nostro Orientalibus praescriptam coram dilecto Filio Nostro Alexandro Tituli S. Susannaee S. R. E. Presbytero Cardinali Barnabò S. Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis Praefecto solemniter emisisti, nec non debitae Nobis Nostrisque successoribus fidelitatis iuramentum in manibus Nostris praestitisti, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E.

Cardinalium praedictae Congregationis consilio, electionem seu postulationem huiusmodi iuxta decre-  
tum memoratae Congregationis Apostolica auctoritate tenore praesentium admittimus, probamus,  
et confirmamus, atque omnes et quoscumque de-  
fectus etiam substantiales, si qui in ipsam elec-  
tionem seu postulationem irrepserint sanamus.

Te autem a quibusvis suspensionis et interdi-  
cti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et  
poenis a iure aut ab homine latis, si quibus quo-  
modolibet innodatus existis, ad effectum praesen-  
tium tantum consequendum, harum serie absolven-  
tes et absolutum fore censemtes, de eorumdem Fra-  
trum Nostrorum consilio, Patriarchali Ecclesiae Ar-  
meniorum Ciliciae Apostolica auctoritate praefici-  
mus, curam regimen atque administrationem illius  
in spiritualibus et temporalibus Tibi plenarie com-  
mittendo, firma spe fiduciaque suffulti, quod Tu  
divino auxilio fretus, quae sunt Iesu Christi sedulo  
et unice quaerens catholicos in sanctissimae Fidei  
Nostrae professione quotidie magis confirmare, ac  
miseros errantes in omni patientia et doctrina ad  
sanctae matris Ecclesiae sinum revocare, aliasque  
omnes gravissimi Tui ministerii partes summa cura  
ac vigilantia implere studeas.

Quocirca Fraternitati Tuae per haec Apostolica  
Scripta praecipimus, ut impositum Tibi onus cum  
gratia Nostrae benedictionis alacriter suscipiens,  
mandata huius S. Sedis de instauranda in Armenio  
Patriarchatu ecclesiastica disciplina ipse accuratis-  
sime custodias, et ab aliis servari cures; ut cum  
eiusdem patriarchatus Episcopis synodus quampri-

mum habeas , cuius acta ac decretal ad eamdem Congregationem mittere festinabis , vetita interim eorumdem exequutione, donec supremo Nostro et Apostolicae Sedis iudicio fuerint approbata. Volumus insuper ut commisso Tibi Patriarchatui, firma tamen et integra manente ordinaria Episcoporum iurisdictione in suas dioeceses, sedulus advigiles; Parochos aliosque animarum curatores suo muneri diligenter adlaborare cures, praesertim divini verbi praedicatione et christianaे doctrinae instructione, quas alicubi valde desiderari dolenter accepiimus ; Clericos aliosque sacerdotes ad pietatem , doctrinam , atque ecclesiasticam disciplinam informari procures; ipsumque clerum ac fidelein populum in salutis via ita ducere adnitaris, ut bene currentibus stimulum addas, segnes excites, ac per devia gradientes, antequam in praeceps ruant, ad rectam semitam pius pastor quamprimum reducere coneris. Quo fiet ut patriarchalis ista Ecclesia fideli ac prudenti pastori se commissam fuisse laetetur, Tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque gratiam et benedictionem uberioris consequi merearis.

Denique universis Episcopis Catholicis Patriarchatus Ciliciae mandamus, ut canonicam Tibi exhibeant reverentiam et obedientiam : Clero et Monachis praecipinus ut Tuam revereantur auctoritatem, et monitis atque mandatis Tuis, salvis ut supra Episcoporum iuribus, obsequenter prompteque pareant: Catholicus vero Armenius populus , qui minorato Ciliciae patriarchatu continetur, Te

uti legitimū Patriarcham suum devote suscipiat,  
debitaque honorifcentia et obedientia prosequatur.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, quarto Idus Iulii, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

**FRANCISCVS VICI SUBDATARIUS N. CARD. PARACCIANI CLARELLI**

**Visa De Curia  
D. Bruti.**

Loco  Plumbi

I. Cugnonius.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XX. SEPTEMBRIS  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

**U**niversus catholicus orbis nescit, Venerabiles Fratres, maxima damna, gravissimasque iniurias catholicae Ecclesiae, Nobis, et huic Apostolicae Sedi, Episcopis, Sacrisque Administris, Religiosis utriusque sexus Familiis, aliisque piis institutis a Subalpino Gubernio pluribus abhinc annis illatas, omnibus divinis, humanisque iuribus conculeatis, et ecclesiasticis poenis, ac censuris, plane despectis, quemadmodum saepe lamentari, et reprobare coacti fuimus. Idem vero Gubernium quotidie magis vexans Ecclesiam, neamque opprimere contendas post alias editas leges ipsi, eiusque auctoritati adversas, et iocirco a Nobis datnatas eo iniustitiae devenit, ut nainime exhorruerit legem proponere, approbare, sancire, et promulgare, quae in suis, et usurpatis regionibus temerario, ac sacrilego prorsus aušu Ecclesiam propriis omniaibus bonis cum ingenti ipsius quoque civilis societatis damno spoliavit, sibique vindicavit, et eadem bona vendenda constituit. Omnes profecto vident quam iniusta, et quam immanis sit haec lex, qua et inviolabile possidendi ius, quo Ecclesia ex divina sua institu-

tione pollet, oppugnatur, et omnia naturalia, divina et humana iura proculcantur, omnes utriusque Cleri viri de re catholica, et humana societate optime meriti, et Virgines Deo sacrae ad tristissimam egestatem, ac mendicitatem rediguntur.

In tanta igitur Ecclesiae ruina omniumque iurium eversione Nos, qui ipsius Ecclesiae, et iustitiae causam pro supremi Apostolici Nostri ministerii officio studiosissime tueri, defendere et vindicare debemus, nullo certe modo silere possumus. Itaque in hoc amplissimo vestro conventu Nostram extollimus vocem, et commemoratam legem auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, eamque omnino irritam, et nullam declaramus. Ipsius autem legis auctores, et fautores sciant se misere incidisse in ecclesiasticas poenas, et censuras, quas Sacri Canones, Apostolicae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta ipso facto incurrendas infligunt contra Ecclesiae, eiusque iurium, ac bonorum usurpatores, et invasores. Pavent insuper et contremiscant hi acerrimi Ecclesiae hostes, ac pro certo habeant, gravissimas, severissimasque eis a Deo Ecclesiae sanctae auctore et vindice poenas parari, nisi vere paenitentes redierint ad cor, et illata eidem Ecclesiae damna resarcire, ac reparare studuerint, quemadmodum Nos vel maxime optamus, et a miserationum Domino humiliter enixeque exoscimus.

Hac autem occasione sciatis velimus, Venerabiles Fratres, mendacem quemdam libellum gallice scriptum et Parisiis recens editum fuisse, quo cum summa perfidia, et impudentia in lectoris animum

dubia insinuantur, ut luctuosissimae rerum in Mexico vicissitudines huic Apostolicae Sedi aliquo modo attribuendae sint. Quod quidem quam falsum, quam absurdum sit, omnes certe noscunt, atque id luce clarius apparet, inter alia documenta, ex epistola Nobis die 18. superioris mensis Iunii ab infelicissimo Maximiliano in carcere scripta, antequam indignam et crudelem mortem obiret.

Hanc ipsam vero nacti opportunitatem continere non possumus, quin meritas, amplissimasque laudes tribuamus clarissimae memoriae Ludovico Altieri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, et Albani Episcopo. Ipse enim, ut optime nostis, summo loco natus, claris virtutibus ornatus, gravissimisque muneribus perfunctus, Nobisque carus, ubi primum accepit, horrificum cholerae morbum Albanum grassari, sui omnino immemor, et caritatis aestu in commissum sibi gregem flagrans, illuc statim advolavit. Ac nullis laboribus, nullis consiliis, nullisque incoinmodis, et periculis parcens dies noctesque sine mora et requie miseros infirmos, et moribundos spiritualibus quibusque praesidiis, et omni alia ope suis propriis manibus iuvare, reficere ac solari nunquam cessavit, donec horribili morbo correptus, veluti bonus pastor dedit animam suam pro ovibus suis. Evidem illius memoria in Ecclesiae fastis semper in benedictione erit, quandoquidem christianaे caritatis victima fortunatam obiit mortem, et maximam ac nunquam interituram gloriam sibi, Ecclesiae, ac nobilissimo vestro, omniumque catholicorum Antistitutum Ordini comparavit. Nos quidem etiamsi gravi moerore af-

fecti fuerimus, vix dum eiusdem Cardinalis obitum audivimus, tamen magna consolatione sustentamur, quod certam spem habemus, illius animam ad caelestem patriam pervenisse, ibique in Domino exultare, ac fervidas Deo pro Nobis, Vobisque, et universa Ecclesia preces offerre. Debitam quoque laudem tribuimus utriusque Albani Clero, qui illustria sui Antistitis vestigia sequens cum ipsius vitae discrimine omnem, religiosam praesertim, operam aegrotantibus, morientibusque sedulo navare non destitit. Omnibus etiam praeconiis digni sunt Nostris milites ibi morantes tum a publica securitate servanda vulgo *Gendarmi*, tum qui *Zuavi* appellantur; nam vitae periculo plane spreto, in defunctorum potissimum humandis corporibus clarum christiana caritatis praebuerunt exemplum.

Denique, Venerabiles Fratres, ne desistamus levare animas nostras ad Dominum Deum Nostrum, qui est multae misericordiae omnibus invocantibus eum, et Ipsum iugiter oremus, et obsecremus. ut strenue Vobiscum stantes in praelio, atque oponentes murum pro domo Israel, et Ecclesiac suae sanctae causam viriliter propugnare, et omnes Ecclesiae inimicos ad iustitiae, salutisque semitas reducere possimus.

## LITTERAE APOSTOLICAE

Q V I B V S

HIERONYMVS D'ANDREA CARDINALIS SVSPENSVS DECLARATVR  
 AB INSIGNIBVS ET PRIVILEGIIS CARDINALITIAE DIGNITATIS  
 ALIAQVE IN EVM DECERNVNTVR

PIVS PP. IX.

**Q**quamquam Illius Nos gerentes in terris, vices, qui patiens et misericors est benignitatem clementiamque libenter sequamur, tamen quia iudicium et iustitiam facere Apostolici etiam muneris esse intelligimus, ad evellenda, quae in perniciem fidelium suboriantur scandala, eorumque auctores compescendos supremae Nostrae auctoritatis vim et robur exerimus. Id Nos spectantes iam inde ab anno proxime superiori 1866. per similes in forma Brevis Litteras die 12 mensis Iunii datas auditis antea Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorumdem consilio omne iurisdictionis exercitium in spiritualibus ac temporalibus tam in Ecclesiam Sabinensem, quam in Abbatiam Sublaquensem ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum Hieronymo D' Andrea Cardinali suspendimus atque interdiximus, quippe qui mense Iunio anno 1864., Nobis iustissimas ob causas abnuentibus aliasque ut oras ad confirmandam valetudinem peteret suadentibus, Urbem repente deserens Neapolim profu-

gisset, ibique adhuc immorari pergeret contra Sacrorum Conciliorum de Episcoporum residentia sanctiones, contraque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum decreta de eadem re edita , et potissimum Benedicti XIV. Constitutionem, quae incipit « *Ad universae christianaे reipublicae* » ubi scilicet decernitur non licere Episcopis a Dioecesi sua recedere legitima qualibet ex causa etiam tuerdae recreandaeque valetudinis, nisi prius a Romano Pontifice pro tempore existente veniam fuerint expresse consecuti. Neque minus severe de Cardinalem residentia statuerunt Praedecessores item Nostrri Romani Pontifices , atque in primis Innocentius X. in sua Constitutione. « *Cum iuxta* » die 19 Februarii Anno 1646. edita. Is enimvero, quum S. Ecclesiae Romanae Cardinales in partem Apostolicae sollicitudinis vocati adstare continenter Romano Pontifici, eique in regimine universae Ecclesiae studium suum operamque praestare debeant , graves eisdem, multiplicesque indixit poenas ipso facto , et absque iudicis declaracione incurendas , si extra civilem Ecclesiae statum demigrare ausi fuerint quacumqne ex causa etiam publica et favorabili, et in corpore iuris clausa, nisi eadem causa a Romano Pontifice pro tempore existente expresse antea fuerit et probata et admissa.

Iam vero huiusmodi inobedientiae, atque irreverentiae exemplo adversus Nos et Apostolicam Sedem per memoratum Cardinalem edito, proculcasisque tam audacter ab eo sacrorum Canonum sanctionibus, et Pontificiis Constitutionibus, diu multumque, sed tamen frustra expectavimus dum ille

resipiscens errati veniam postularet; frustra illum per Cardinalem publicis negotiis praeposatum , ac deinde per Cardinalem Sacri Collegii Decanum admonendum curayimus de gravissimis poenis, quibus iuxta sacros Canones, et Pontificias Constitutiones obnoxias evasisset. Ipse etenim adhibitas admonitiones nihil faciens actionem illam suam tamquam culpa vacuam tueri pertinaciter institit , evulgatisque in eam rem Litteris , amplissimorum nonnullorum Cardinalium, et spectatissimorum Antistitum nomen famamque proscindere non dubitavit iniquissimis conviciis et contumeliis omni posthabito et humanitatis, et christianaetiam caritatis officio. Tanta haec agendi scribendique licentia viro potissimum indigna, qui et Cardinalitia et Episcopali dignitate honestaretur, maximum Nobis dolorem inussit ; sed tamen nequid intentatum relinquemus ad eius animum permovendum , ac ne usiae Nostrae benignitatis et clementiae partes in huiusmodi re desiderarentur, litteras ei mittendas duximus manu Nostra conscriptas, quibus hortati eundem suinus, ut consideraret etiam atque etiam, quam grave fidelibus scandalum intulisset, et quantum iecirco culpam sustineret , aeternaeque suae saluti consulens in rectam viam redire ne moraretur , ac postremo denunciavimus , nisi paterna Nostra monita libens volensque audiret, et sequeretur, ipso Apostolici muneris officio Nos fore cogendos, ut iudicis tandem partes susciperemus. At enim nihil de animi sui pertinacia atque elatione remittens tam procaciter Nobis atque iniuriose respondit , ut id expectare vix potuissemus ab ho-

mine, cui nulla sit erga Apostolicam Sedem fides et observantia.

Tam gravibus, tamque reprobandis admissis aequa lance perpensis, et spectata praedicti Decessoris Nostri Innocentii X Constitutione, nemo non videt, quanto gravior per Nos fuisset animadversionis adhibenda severitas. Siquidem in eadem Constitutione memoratus Praedecessor Noster statuit decernitque ut omnes et singuli S. R. E. Cardinales, qui non obtenta a Romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem Ecclesiae ditionem se transferant, statim eo ipso absque aliqua iudicis vel alterius praecedente declaratione omnibus et quibuscumque privilegiis immunitatibus exemptionibus et indultis a Sede Apostolica concessis privati sint et existant; atque insuper poenam interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso pariter incurvant; nec non et aliis per Romanos Pontifices quovis modo arbitrandis poenis subiaceant, et etiam ad sequestrum omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum tam quorumcumque officiorum et munierum etiam maiorum et consisterialiter concessorum, specialique expressione dignorum, quam Monasteriorum et aliorum quorumlibet Beneficiorum saecularium et cuiuscumque Ordinis regularium etiam iurisdictionem sive spiritualem sive temporalem habentium, nec non pensionum super quibusvis fractibus ecclesiasticis contra eosdem Cardinales etiam sine aliqua citatione vel declaratione deveniri possit ac debeat. Et si Cardinales praedicti per sex menses, qui pro tribus canonice monitionibus pereemptoriisque dilationibus et terminis

assignantur a die eorum recessus computandi ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, ultra poenas praedictas et cumulative cum illis, atque eo ipso poenam incurant privationis omnium et singulorum fructuum reddituum proveni-  
tuum tam quorumcumque officiorum munerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum specialique nota dignorum, quam Monasteriorum et aliorum quorumlibet Beneficiorum saecularium et cuiuscumque ordinis regularium, quae in titulum, commen-  
dam, administrationem, et alio quocumque modo obtineant, nec non pensionum super quibusque fructibus ecclesiasticis eisdem Cardinalibus assigna-  
tarum. Quod si lapsis praedictis sex mensibus, per alios sex menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis monitionibus et peremptoriis terminis assignantur, ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu minime redierint, cumulative cum singulis praedictis poenis, etiam poenam privationis omnium praedictorum officiorum, munerum etiam maiorum et consistorialiter con-  
cessorum, et Beneficiorum quorumlibet tam sae-  
cularium, quam regularium eo ipso itidem et ab-  
sque alia declaratione incurant. Si autem Cardi-  
nales praedicti per alios tres menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis admo-  
nitionibus, peremptoriisque dilationibus assignan-  
tur, et sic in totum infra quindecim menses ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, decernitur deveniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet maiores, et graviores, atque individua mentione dignas per Romanos Pontifices

declarandas, atque etiam usque ad poenam privationis Cardinalatus inclusive. Iam vero , quum exeunte mense septembri anni MDCCCLXV quindecim mensium spatium effluxisset, postquam memoratus Cardinalis a civili Ecclesiae Statu illicite recesserat , nullisque monitis atque hortationibus permotus in eadem contumacia perstaret , dignus profecto censendus erat qui iuxta Canonicas sanctiones, et predictam Innocentii X Constitutionem Cardinalatus honore, et Episcopatu Sabinensi, aliisque, quibus gauderet, Beneficiis privaretur. Verum ut ante grave illud animadversionis genus adhuc ei spatium relinqueremus colligendi se , et saniora consilia suscipiendi, utque securitati consuleremus fidelium Sabinorum et Sublaquensium, quibus datus ad salutem pastor ob prava illa exempla lapis offensionis evaserat, et petra scandali, per memoratas superius Nostras Litteras, nulla ex parte derogando Innocentii X Constitutioni, predictum Cardinalem suspensioni dumtaxat subiecimus omnis iurisdictionis in Ecclesiam Sabinensem, et Abbatiam Sublaquensem, eisque Antistites praefecimus, qui ad Nostrum et S. Sedis nutum commissas sibi Dioeceses administrarent. Hac porro irrogata suspensionis poena, quae levior multo esset, quam culpae gravitas postularet sperabamus quidem futurum , ut is ad bonam mentem, voluntatemque converteretur. Sed tamen concepta spes in irritum cessit; quippe eo temeritatis devenit , ut ab Apostolicis Nostris Litteris ad melius informatum Pontificem provocationem palam interiecerit , atque ad eludendam si fieri posset Apostolicae Sedis auctori-

tatem illud adhibuerit effugii genus, quod ii plerunque adhibuerunt, qui S. Sedis sententiam declinare niterentur; quam quidem appellationem Praedecessores Nostri Romani Pontifices merito reiecerunt ac reprobarunt. Atque in huiusmodi causa absurdâ prorsus erat ea provocatio, quippe quod memorati Cardinalis admissa sic erant extra dubitationem posita, ita certa atque explorata omnibus, ut nulla possent tergiversatione celari.

Neque vero hic se continuit, sed Litteris ad utrumque Clerum, et Populum Sabinensem et Sublaquensem missis, et vero etiam quaquaversus diffusis asseruit, ac propugnavit irritas prorsus esse, et nullius vis ac roboris ad quoslibet canonicos effectus Apostolicas Nostras Litteras, quibus interdictum illi est iurisdictionis exercitium; nulla legitima potestate pollere praepositos a Nobis administratores, eosque tamquam furtive, ac per vim suum in ovile immissos existimandos; se unum legatum pastorem habendum, sibi proinde obedientiam praestandam. Atque eo progressus est, ut per epistolam typis editam audacter a Nobis petierit, ut memoratas Nostras Apostolicas Litteras revocaremus, utpote iniustas ac nullius vis, atque efficacie, absisteremus aliquando ab ipso iniuste iniuste insectando; sibique integrum esse affirmaverit interdictam per Nos iurisdictionem in utraque dioecesi exercere tam in foro interno, quam externo.

Quid quod suis in scriptis in lucem editis plura concessit ad minuendam deprimeandamque Apostolicæ Sedis auctoritatem pertinentia, et Nos partim privatis litteris, partim etiam in vulgus emis-

sis omni incessere contumelia minime veritus in persona Humilitatis Nostrae Apostolicae Sedis sanctitatem dignitatemque violaverit ? Quid quod publicas commendaverit ephemeridas , quae pravis infectae doctrinis, et Sanctae Sedi maximopere adversae civilem illius principatum oppugnarent, atque adeo non obscure significaverit assentiri se nonnullis per suos fautores evulgatis libellis, qui propositiones falsas et omnino damnandas complecterentur ?

Gravia haec quidem sunt, et reprobanda, in eo tamen reprobanda maxime planeque non ferenda , qui Episcopali et Cardinalitia dignitate insignitus, Catholicam tueri ac propagare doctrinam, peculiarem erga Beatissimi Petri Sedem exhibere reverentiam eiusdemque honorem jura privilegia servare ac promovere omni ope debeat , quemadmodum sese interposita iuramenti fide in accipiendo Cardinalitiis insignibus obstrinxerat. Itaque quum tres et eo amplius anni elapsi fuerint, ex quo memoratus Cardinalis pertinaciae culpa, aliisque excessibus insordescat, nullamque faciat spem ad bonam se frugem recipiendi, quumque scriptis in vulgus editis perversis, ac turbulentis fidelium animos perturbet, ac transversos agat; quaque ornatus est dignitate in religionis detrimentum , et Romanae Ecclesiae dedecus abutatur ; ne hoc tantum malum serpat latius, ac roboretur, Nobis qui dati sumus speculatores domui Israel providendum omnino est, aliaque praecavenda pericula , quae Ecclesiae Dei exinde impendere noscamus. Proinde ipso vigilantiae pastoralis officio quantumvis inviti uti in illum

cogimur severitate poenarum, quas adversus huiusmodi contumaces Sacri Canones, et Pontificiae Constitutiones decernunt ; quippe animo etiam reputamus verissima illa S. Siricij Praedecessoris Nostri ad Himerium Episcopum Tarragonensem verba « Necessa est ut ferro abscindantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam ». Attamen cum praedicto Cardinali mitius agere adhuc volentes, auditis Venerabilibus Fratribus Nostris S. E. R. Cardinalibus, supersedendum a dictarum gravitate poenarum, et suspensionem ab insignibus, et privilegiis Cardinalitiis adversus ipsum decernendam in praesens existimavimus. Quapropter certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque eorumdem Cardinalium consilio auctoritate Nostra Apostolica memoratum Hieronymum D'Andrea Cardinalem suspendimus, ac suspensum declaramus ab honoribus, insignibus, et iuribus dignitatis Cardinaliae, et signanter a voce activa et passiva in electione Summi Pontificis, sic ut eiusmodi poenae subiectus evocari non debeat, nec possit ad Conclave , neque admitti , quam evocationem et admissionem Cardinalibus eorumque Collegio prorsus prohibemus, sublata penitus quacumque ad suffragandum, et votum pro dicta electione dandum habilitatione , eumque ad Conclave evocandum facultate, quam quovis titulo, et ratione in corpore juris clausa , aut vigore quarumcumque Constitutionum Pii PP. IV, Gregorii XV, aliorumque Praedecessorum Nostrorum allegari contigerit, quibus omnibus et singulis, quorum tenores hic pro expressis et contentis habemus, et plenaria Nostra

Auctoritate derogamus, et pro derogato haberi volumus et mandamus. Praeterea memorato Cardinali D'Andrea trium mensium peremptorium terminum adsignamus a datis hisce Nostris Litteris computandum, infra quem non per procuratorem, sed personaliter et cum effectu coram Nobis et hac Apostolica Sede sistere se debeat ad recipienda humiliter mandata Nostra. Quo termino inutiliter elapso, ad declarationem privationis Cardinalatus, Episcopatus sui Cardinalatus, nempe Sabinensis, nec non Abbatiae Sublaquensis, aliorumque Beneficiorum, quibus ipse fruitur, deveniemus.

Haec volumus ac mandamus, decernentes has Litteras, etiam ex eo quod illi quorum interest, minime consenserint, et ex alia quacumque causa nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse, sed ipsas praesentes Litteras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat seu spectabit inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, atque irritum futurum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non quibusvis etiam in Universalibus Conciliis editis, Constitutionibus aliisque Ordinationibus etiam favore Cardinalium evulgatis, privilegiis quoque et indul-

tis, quibuscumque personis quavis dignitate etiam Cardinalitia fulgentibus concessis, et pluries etiam confirmatis et innovatis, ceterisque in contrarium facientibus, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus illorum tenores pro plene ac sufficienter expressis, atque verbo ad verbum insertis habentes, illis tamen alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum plene et expresse derogamus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX Septembr. Anno MDCCCLXVII Pont. XXII.

**N. CARD. PARACCIANI CLARELLI**

# LITTERAE APOSTOLICAE

**QVIBVS PRAETENSA APOSTOLICA IN SICILIA LEGATIO  
 AC MONARCHIA SIC APPELLATA NEC NON IVDEX DELEGATVS  
 EIVSQUE TRIBVNAL MINISTRI ET OFFICIALES OMNES  
 PLANE ABRÓGANTVR AC DELENTVR**

**PIVS EPISCOPVS**

**SERVVS SERVORVM DEI**

**AD PERPETVAM REI MEMORIAM**

**S**uprema universi Dominici gregis cura Nobis licet immeritis in persona beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus commissa omnino postulat, ut pro Apostolici Nostri ministerii officio omnium totius catholici orbis Ecclesiarum bono, ac prosperitati studiosissime prospiciamus, et omnia conemur, quo sanctissima nostra fides ac religio ubique magis in dies vigeat, efflorescat, et ecclesiastica disciplina servetur, ac radicitus evellantur zizania, quae inimicus homo superseminavit in medio tritici, et omnes eliminentur corruptelae, quae animarum saluti, et sacrarum rerum ordini vel maxime adversantur. Hinc vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio paternas Nostras

sollicitudines ad Siciliam convertimus, et Apostolicas quoque Nostras Litteras annulo Piscatoris ob-signatas, ac die XXVI Ianuarii MDCCCLVI editas, quarum initium « Peculiaribus » vulgavimus pro spirituali Siciliae utilitate, quae ab antiquis temporibus filia in primis dilecta Romanae Ecclesiae, arctissimis praecipuae pietatis, amoris et observantiae vinculis huic Apostolicae Sedi fuit obstricta. Summo autem animi Nostri dolore maxima novimus mala et damna, quibus Sicilia ipsa iamdiu misere afflictatur. Ac serio considerantes omnia acta, quae haec Sancta Sedes pro eadem Insula edidit, perspeximus, rec. me. Clementem XI Decessorem Nostrum merito atque optimo iure iudicasse, plurima, eaque gravissima Siciliae mala, abusus et corruptelas oriri ex praetensa Legatione, ac Tribunali Monarchiae, quae concessa dicuntur ab Urbano II item Praedecessore Nostro. Quocirca idem Clemens XI apostolico zelo incensus decimo Kalendas Martii anno millesimo septingentesimo decimo quarto suas sub Plumbo edidit Pontificias Litteras, incipientes « Romanus Pontifex » quibus penitus abrogavit et extinxit praetensam Apostolicam Legationem, et ita appellatam Monarchiam, eiusque Tribunal, gravissimas causas luculenter exponens, ob quas huiusmodi consilium a se omnino suscipiendum esse existimavit. Postmodum vero Benedictus XIII Praedecessor pariter Noster pecularibus rerum ac temporum adjunctis, ac repetitis promissionibus adductus, eaque spe fretus fore, ut Tribunali cum certis et immobilibus normis et regulis constituto, omnes de medio tollerentur abu-

siones, die XXX Augusti Anno MDCCXXVIII Apostolicas sub Plumbo promulgavit Litteras exordientes « Fideli » quibus in Sicilia constituit Ecclesiasticum causarum Delegatum Iudicem , eiusque Tribunal cum facultatibus et legibus , quae nullo unquam modo immutari possent. Inanes vero fuere praelaudati Nostri Decessoris spes, nam iudex ille ac tribunal retinens nomen Iudicis ac Tribunalis Monarchiae, se veluti antea ex praetensa Apostolica Legatione originem habere perperam censuit , ac laica potestas non solum idem tribunal dirigendum suscepit, verum etiam ordinationes, declarationes et pragmaticas sanctiones Apostolicis Litteris « Fideli » adversas edidit, et insuper perrexit asserta exercere iura sic dictae Legationis a Clemente XI de medio sublatae, ac Delegatus Iudex magis Gubernii ordinationibus , quam memoratae Benedicti XIII Constitutioni obsequi, et adhaerere existimavit. Itaque haec Apostolica Sedes haud omisit saepe reclamare et instare , ut limites ab eadem Constitutione Benedicti XIII praescripti diligenter observarentur. Atque id occasione Conventionis inter hanc Apostolicam Sedem, et Utriusque Siciliae Regem anno MDCCCXVIII initae denuo fuit promissum , Regia etiam Ordinatione edita , quae in Epistolam Regii Administris diei XXIX Aprilis anno MDCCCXVIII relata praecipiebat, ut omnes de medio tollerentur abusus, et limites in Apostolicis Litteris « Fideli » statuti diligenter custodirentur. Sed repetita promissa minime servata fuerunt, nec exauditae tum Nostrae , ac Nostrorum Praedecessorum reclamationes et querelae , tum illac Epi-

scoporum in conventu ab ipsis anno MDCCCL in dicta Insula habito, etiamsi de gravissimis ageretur abusibus, ex quibus summa in Siciliae fideles damna, ac detrimenta redundabant, quae iam omnes Sacrorum eiusdem Insulae Antistites in Concilio Tridentino existentes unanimi consensu apud catholicum Regem Ecclesiae iura reclamantes vehementer deploraverant. Nos ipsi aliqua ex parte opportunum malis remedium adhibere curavimus, sed inutiles Nostrae fuerunt sollicitudines. Etenim Legationis praetextu, ecclesiasticae res maiore ex parte usurpatae, ac leges de ecclesiastica disciplina perperam conditae, et haec Apostolica Sedes impedita, quominus salutarem suam erga illas Ecclesias actionem exercere possit. Atque eo per ventum est, ut in rebus ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus laica potestas minime pendere velit a Romano Pontifice, cuius vices se agere iactat. Iudex vero ita appellatae Monarchiae minime servans limites praescriptos ab Apostolicis Litteris « Fideli » civilium Ministrorum ordinationibus inseriens, eas temere exequitur, sibique vindicat facultates, quibus omnino caret, et gravaminis obtentu specieque, ad se, plane neglectis Canonicis Sanctionibus, per commemoratas Litteras « Fideli » enunciatis, causas avocat, et Episcopos ad rationem reddendam ita cogit, ut ipsi raro possint, prima etiam provocatione, de causis iudicare, et impedit, quominus supremi Religiosarum Familiarum Moderatores suam auctoritatem in subditos sibi religiosos viros exercere queant, atque etiam interiori Regularium Ordinum disciplinae sese immiscero non dubitat.

Hinc factum est, ut in Sicilia Episcoporum auctoritas cum summo eorum iurium damno , et animarum salutis discrimine fuerit depressa , ac deiecta, ut ecclesiastica disciplina enervata, et Regularis observantia fere destructa, et utriusque Cleri inobedientia aduersus suos Praepositos promota ac defensa, ut Episcopi et Regularium Ordinum Moderatores continua illius Tribunalis illegitima actione ac vi pressi haud possint impedire perturbationes, et quae tristia consequuntur ex nullitate actorum, quae ab eodem Tribunali patrantur contra statuta et praescripta ab ipsis « Fideli » Apostolicis Litteris. Accedit etiam, ut superiori fere exeunte saeculo Messanae Tribunal, a civili potestate pro suo arbitrio fuerit perperam constitutum , quin ullo modo a Monarchiae Tribunali penderet. Ex quo luctuosissimo sane rerum statu tristissima illa in Siciliam variis temporibus redundarunt mala , quae potius lugenda , quam commemoranda sunt , cum omnibus apprime cognita sint, et perspecta, praesertim posteaquam ipsae Nostrae Apostolicae Litterae per summam iniuriam contemptae , et presumdatae fuere. Ac nisi nota esset eximia Siculorum erga hanc Petri Cathedram catholicae unitatis centrum fides, pietas, observantia, et obedientia, nec non Episcoporum pro animarum salute sollicitudo, metuendum esset periculum, ne si ita res progrederentur , Sicilia gravioribus etiam malis afflatur. Cum igitur ex eodem Tribunali superius enuntiato, quod Monarchiae vocant, tot in Ecclesiam , eiusque auctoratem , iura ac disciplinam damna derivarint , ac derivent , et irritae fuerint

iteratae huius Apostolicae Sedis expostulationes , quo Tribunal idem praefinitos in Apostolicis « Fidelis » Litteris limites diligenter servaret , ac fallaces semper fuerint repetitae promissiones de tollendis corruptelis , iceirco Nos in tot gravissimis malis , quae Ecclesiam in Sicilia affligunt , ac in tot maximis periculis , quae eidem Ecclesiae impendent , non solum nullo modo connivere possumus , verum etiam pro gravissimo supremi Nostri Apostolici ministerii officio mala ipsa et pericula omni cura studioque penitus amovere et eliminare debemus . Gravissimae enim culpae coram Deo Nos reos esse existimaremus , nisi tot mala radicitus extirpanda curaremus . Quocirca succidamus ac dissipemus oportet , ut Clementis XI Praedecessoris Nostri verbis utamur , arborem illam , ex qua pesimi orti sunt fructus , cum Romanus Pontifex a Christo Domino aequi bonique assertor constitutus noxia omnia destruere ac radicitus evellere teneatur . Etsi enim de rebus ageretur ab hac Apostolica Sede ob legitimas causas forte unquam concessis , tamen huiusmodi concessiones revocandae et abolendae omnino essent , cum , rerum ac temporum immutatis adiunctis , experientia demonstret maxima orta esse et oriri damna ex hisce concessionibus , easque omnis generis corruptelis et abusibus aditum aperire , et Ecclesiae , animarumque saluti maxime adversari . Itaque cum pro Apostolici Nostri muneric debito nullo modo possimus diutius ferre ac tolerare tot mala et corruptelas , ac permittere , ut Siculae Monarchiae privilegiorum obtentu ecclesiastici Ordinis dignitas labefac-

ctata collabatur et concidat, peculiari VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregatione in consilium adhibita, ac nonnullis Dilectis Filiis Romanae Curiae auditis Antistitibus, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Litteris non solum suppressionem et abolitionem praetensae Apostolicae Siculae Legationis , ac ita appellatae Monarchiae a Clemente XI Decessore Nostro factam confirmamus , verum etiam eamdem Apostolicam Legationem, et Monarchiam, quatenus opus fuerit, suprema Nostra Auctoritate iterum suppressimus, extinguimus , et abolemus ; insuper saepe memoratam Constitutionem « Fideli » a Benedicto XIII Praedecessore item Nostro editam quoad Iudicem delegatum in Sicilia, quem Monarchiae Iudicem vocant, eiusque Tribunal una cum omnibus indultis, privilegiis et facultatibus, etiam in Apostolicis Litteris in forma Brevis expeditis, tum rec. me. Gregorii XVI Praedecessoris Nostri incipientibus « Iamdiu » die III Martii Anno MDCCCXLVI datis, tum Nostris die XXI Ianuarii Anno MDCCCLVI editis, quarum initium « Peculiaribus » et in quibuscumque aliis quovis titulo et causa a Nobis et a Praedecessoribus Nostris quorumcumque meritorum intuitu et ratione praedicto Iudici Delegato, eiusque Tribunali concessis, et confirmatis praesentium Litterarum tenore prorsus revocamus , et officium eiusdem Iudicis, ac ceterorum officialium, et ministeriorum , dictumque Tribunal una cum commemorato Tribunali Messanae erecto perpetuum in modum de medio tollimus , et in omnibus omnino

extinguimus, cassamus et delemus. Volumus propter ea et mandamus, ut illa omnia veluti plane extincta, suppressa et abolita, nec non respective rescissa, cassata, deleta, revocata, ac penitus abrogata ab omnibus haberi ac reputari debeant.

Ceterum ad praemissa devenimus, ut pro Pontificia Nostra sollicitudine Ecclesiae libertatem, ac Nostram, et huius S. Sedis, et Episcoporum ac Regularium Superiorum auctoritatem vindicaremus, et ecclesiasticam restitueremus disciplinam, ac periclitantium animarum saluti prospiceremus. Cum autem praecipua prorsus caritate fideles Siciliae populos merito prosequamur, qui avita religione, ac pietate spectati immobili fide et observantia Nobis et huic Apostolicae Sedi constantissime adhaerere vehementer gloriantur, haud omittemus aliis nostris Apostolicis Litteris eorumdem fidelium incommodis, ac dispendiis occurrere, concedendo oportunas facultates Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Sicilia Antistitibus, quos iidem fideles facilius et commodius adire poterunt. Haec volumus, statuimus, praecipimus, atque mandamus decernentes has praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis etiam Regiae et Imperialis existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et audit, causaque, propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica, et

privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormousimae et totalis laesione, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vicio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessso vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac quibuscumque iuris, seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate, seu praedicta abolita, et extincta Legatione, Sicula Monarchia, Tribunali, iudice Delegato, illorumve Ministris quibuslibet, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem quo-vis modo, seu ex quavis causa opponi, seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: Easque propterea omnibus, et singulis per eamdem saecularem potestatem, sive per eamdem abolitam, et extinctam Legationem, ac Tribunal, eorumque ministros quoscumque quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitus, et omnino reiectis,

ac nequaquam attentis ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et praefatae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quamcumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attendari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac praescriptionibus, quantumvis longissimis, et immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis, quibuscumque Regnis, Provinciis, ac Personis, etiam Imperiali, Regia, aliaque qualibet mundana, seu etiam ecclesiastica dignitate fulgentibus, seu alia specifica et individua mentione dignis a Sede praedicta ex quamcumque causa, etiam per viam contractus, et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenori-

bus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis et Indultis huiusmodi mentionem. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Cum autem eaedem praesentes litterae in Sicilia nequeant hisce praesertim temporibus tuto publicari, ut hactenus experientia compertum est, ac Nobis per legitimas probationes satis superque constat, prout harum serie declaramus, et veren-

dum sit ne praetextu reprobatae Legis de Regio placito earumdem Litterarum exequutio impediatur; volumus illas, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas Ecclesiae Lateranensis, ac Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, post duos menses a die earum publicationis, et affixionis computandos, plenarium habere effectum, omnesque, et singulos quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubiqui adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum extinctionis, suppressionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se novrit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexage-

350

simoquarto, V Kalendas Februarii Pontificatus Nostris anno decimoctavo.

M. CARD. MATTEI *Pro-Datarius.*

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa De Curia  
D. Bruti.

Loco  Plumbi

I. Cugnonius.

# LITTERAE APOSTOLICAE

AD ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS VTRVMQUE CLERVM  
 ET AD RELIQVOS OMNES CHRISTIFIDELES SICILIAE  
 DE MODO IVDICANDI CAVSAS  
 AD FORVM ECCLESIASTICVM PERTINENTES  
 ABOLITO IVDICE DELEGATO EIVSQVE  
 TRIBVNALI

**PIVS EPISCOPVS**

**VENERABILES FRATRES**

**AC DILECTI FILII**

**SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM**

**M**ultis gravissimis aequa ac iustissimis causis per-  
 moti , vel potius impulsi per Apostolicas Nostras  
 Litteras hodierno die sub Plumbo datas, ac perpe-  
 tuo valituras , Suprema Nostra Apostolica Aucto-  
 ritate praetensam Apostolicam Siciliae Legationem,  
 ac ita appellatam Monarchiam, Iudicem Delegatum  
 eiusque Tribunal , atque etiam alterum Tribunal  
 Messanae a civili potestate superiori fere exeunte  
 saeculo perperam institutum , Notarios , Scribas ,  
 Ministros , et alios quoslibet Officiales quovis no-

mine nuncupatos, Dignitates, officia, ministeria, omnesque illorum titulos, denominationem omnino extinximus, suppressimus, delevimus, atque etiam omnia et singula, si quae essent, illis et cuicunque illorum a Nobis, et a quibuscumque Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quomodolibet concessa, ac pluries confirmata privilegia, facultates, indulta penitus et omnino revocavimus, et abrogavimus, et illa veluti plane revocata, abrogata et extincta ab omnibus Christifidelibus haberi et aestimari debere voluimus et mandavimus. Verum eodem tempore de vestra utilitate et hono summopere solliciti, et circa vestris incommodes paterna Nostra sollicitudine occurrere exoptantes, cognovimus alium a Nobis modum esse statuendum, quo ex Sacrorum Canonum norma causae ad ecclesiasticum forum pertinentes, extincto et abolito munere, et officio Iudicis Delegati, eiusque Tribunali, possint rite cognosci, iudicari, et ad debitum finem adduci, ac propterea perspeximus, pro carundem causarum cognitione et fine in ista ipsa Insula a Nobis peculiari ratione esse providendum. Ex quo profecto omnes non solum magis magisque intelligunt, summam esse paterni Nostri animi in Vos caritatem, ac singularem de vestris commodis et utilitatibus curam, verum etiam clare aperteque agnoscent, Nos ad praemissa devenisse ut gravissima amoverentur scandala, et mala, quibus Siculi fideles vehementer affligebantur, utque Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis auctoritati, dignitati et honori, et Episcoporum Iurisdictioni, atque animarum saluti consuleretur. Itaque diuturna

et accurata adhibita consultatione, rebusque omnibus diligentissime perpensis, prout rei gravitas omnino postulabat, et auditis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Dilectis Filiis Romanae Curiae Antistitibus consilio, doctrina, ac sacrarum legum scientia, rerumque gerendarum peritia praestantibus, pro facili et recta earumdem causarum cognitione, et tractatione sequentem normam statuere, praescribere, et sanctificare decrevimus, quam ab iis omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, diligenter, inviolabiliterque observari volumus, praecipimus et mandamus.

I. Causae omnes non exemptorum ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, cuiuscumque sint generis in prima provocatione, seu instantia coram Ordinariis Locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum tribunali avocari possint, nisi titulo tantum appellationis a sententia definitiva, aut ab interlocutoria definitivae vim habente, cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel nisi integro biennio a die motae litis computando coram ipsis Ordinariis pependerint in iudicatae, seu non decisae, quemadmodum Concilii Tridentini decreto (cap. Causae qmnes 20. Sess. 24 de Reformat.) provide cautum est. Quod si secus fiat, quaevis appellatio, inhibitio, aut sententia ad eiusdem Concilii praescriptum eo ipso irrita sit, ac nullius prorsus roboris vel momenti.

II. A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servata in omnibus forma, quae ab eodem Concilio sancitur. Ubi vero Metropolitanus in prima

instantia tamquam Ordinarius Loci in causa pronunciaverit, appellatio deferatur ad Episcopum seniorem Provinciae, tamquam Apostolicum Delegatum. A sententiis vero in prima provocatione latis ab Archiepiscopo Cataniensi, qui Suffraganeis caret, appellandum erit ad Archiepiscopum Messanensem uti Apostolicae Sedis Delegatum.

III. Ab Archimandrita vero Messanensi , qui iurisdictionem quasi Episcopalem in nonnullis oppidis, seu locis nullius Dioecesis Provinciae Messanensis exercet , appelletur ad Archiepiscopum Messanensem, uti Delegatum Apostolicum.

IV. Ab Abate demum S. Luciae, qui similiter iurisdictionem quasi Episcopalem in uno, seu pluribus oppidis , vel locis nullius dioecesis Provinciae Messanensis exercet, appelletur ad Archiepiscopum Messanensem uti Delegatum Apostolicum.

V. Per praemissa autem non intendimus eisdem Archimandritae Messanensi , et Abbatii S. Luciae quidquam novi iuris tribuere.

VI. Quaecumque pars a secunda sententia vel Metropolitani, vel Episcopi, ut supra Senioris Provinciae, vel Delegati gravatam se sentiat, ad Nos, seu ad Romanum Pontificem pro tempore existentem poterit appellare, ut causa in Romana Curia ad formam iuris absolvatur, aut etiam, si eidem parti magis libuerit , petere , ut causae cognitio Iudici ecclesiastico in partibus Siciliae committatur per Litteras Apostolicas necessariis et opportunis clausulis, prout iuris fuerit, muniendas.

VII. Caveant tamen omnes Ordinarii Locorum, ne causis, quae maiores appellantur, quaeque apud

Sedem Apostolicam tractari debent, sive in prima, sive etiam in alia ulteriori instantia ullo pacto sese ingerant, aut immisceant, sed illae iuxta commemorati Tridentini Concilii, et Sacrorum Canonum, et Apostoliarum Constitutionum praescriptum in Romana dumtaxat Curia, vel a Iudicibus, quos Romanus Pontifex pro tempore existens specialiter deputaverit, cognoscantur. Insuper caveant quoque, ne cuiquam intercipiatur ius sive in prima, sive in ulteriori instantia, omisso medio, adeundi Sanctam Sedem pro obtinenda cognitione, et definitione aliarum causarum, quas minores vocant, dummodo tamen partium accedat consensus.

VIII. Nulli praeterea ex supradictis sive primae, sive secundae, sive etiam tertiae instantiae Iudicibus, nec cuiquam alteri ecclesiastico Iudici cuiuscumque gradus et conditionis, etiamsi Legati a latere dignitate insignito potestas sit ullo unquam tempore quempiam absolvere, etiam cum reincidentia, et ad effectum agendi tantum, a censuris ecclesiasticis per Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Caveant item omnes praedicti, ne postquam eaedem censurae ab ipsis declaratae ac promulgatae fuerint, ullo modo sese ingerant, aut immisceant cognitioni an illae, earumve declaratoriae validae, aut nullae, iustae aut iniustae sint, cum eiusmodi cognitionem Romano tantum Pontifici pro tempore existenti competere satis constet, et exploratum sit.

IX. Ceteram Archiepiscopi, Episcopi, aliquique ecclesiastici Iudices tam Ordinarii, quam ceteri ut

supra deputati, vel deputandi tam in causis definiendi tum in appellationibus excipiendi sese omnino conformare debeant Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Decreto rec. me. Clementis VIII Praedecessoris Nostri die XVI Octobris anno MDC edito et incipienti « *Ad tollendas* » et rec. me. Benedicti XIV Praedecessoris pariter Nostri Constitutioni, quae incipit « *Ad militantis Ecclesiae* » diei XXIX Martii Anno MDCCXLII.

X. Cum suspensiones, quae per Ordinarios ex informata conscientia inferri solent, minime possint considerari uti causae, quae publici iudicij formam sustineant, fecireo qui huiusmodi suspensionibus obnoxii sunt preces Summo Pontifici tantum deferre poterunt, quin praedicti iudices in huiusmodi causis sese ullo modo immiscere possint.

XI. In causis de nullitate matrimonii observari iubemus Constitutionem Benedicti XIV Praedecessoris Nostri, quae tertio Nonas Novembbris Anno MDCCXXXI edita incipit « *Dei Miseratione* ». Quae autem diligenter servanda sunt sequentibus articulis summarium comprehenduntur; 1.º Qualibet in Dioecesi proprius Ordinarius in patronum seu defensorum matrimonii eligere debet personam probatae fidei, et canonici iuris peritam, ac si fieri possit, ex coetu ecclesiastico. Fas erit Ordinario iustis de causis illam ab officio removere, eique alteram sufficere, quae designatis dotibus sit praedita, idque Ordinario item licebit, quoties electa ad defensoris munus persona aliquo legitimo prohibeatur impedimento, quominus commissi munieris partes ex-

plete. 2.° Is porro defensor, seu patronus omnibus causis adesse debet, quae de matrimonii nullitate, seu validitate instituantur, atque adeo ad omnia et singula acta erit citandus, atque etiam adesse debet testium examini, ac tam voce, quam scripto matrimonii validitatem tuehi tenebitur, omniaque deferre argumenta, quae ad eius valorem probandum necessaria et idonea cognoscat. 3.° Ut institutum de matrimonii validitate iudicium integrum sit nec nullitatis vitio laboret, necessarium erit, ut matrimonii defensor iudicio intersit, sive unus, sive uterque ex coniugibus agat pro invaliditate matrimonii, sive ambo coniuges stent in iudicio, quorum alter matrimonii valorem oppugnet, alter vero tueatur. Idem matrimonii defensor munus adsumens iuramentum omnino praestet de ipso munere recte, fideliterque gerendo, idemque iuramentum in singulis causis renovabit. Quivis actus iudicialis fiat, quin matrimonii defensor legitime citetur, vel intimetur, plane irritus erit. 4.° Si sententia edita matrimonium admittet, ac nulla ex partibus appellationem interponat, matrimonii defensor ab appellando se abstinebit, eademque ratione se geret, si iudex secundae instantiae pro matrimonii validitate sententiam tulierit, licet primus iudex pro nullitate iudicaverit; quod si iudicatum fuerit pro matrimonii invaliditate, hoc in casu defensor intra terminum a iure canonico definitum provocationem a sententia interponat necesse est, declarando, se adhaerere parti, quae matrimonii valorem sustineat. Si autem nemo existat, qui a sententia contra matrimonium data appeleret, defensor ex officio ab eadem sententia pio-

vocabit. 5.<sup>o</sup> Pendente appellatione a prima sententia, vel appellatione nequaquam interposita, quamlibet ob causam, si unus vel uterque coniux novas inire nuptias attentaverit, subiicientur canonicis sanctionibus contra illos, qui nuptias ab Ecclesia vetitas inire ausi fuerint, ac praesertim obnoxii erunt separationi, donec altera lata fuerit sententia de nullitate matrimonii, a qua intra decem dies interposita non sit appellatio, vel eadem deserta iaceat; insuper poenas omnes incurrit contra polygamos a sacris Canonibus et Apostolicis Constitutionibus praefinitas. 6.<sup>o</sup> Posteaquam causa ad secundi gradus Iudicem delata sit, circa matrimonii defensorem illa omnia servanda erunt, quae prescripta sunt in iudicio primae instantiae. Ad eumdem secundae instantiae iudicem pertinebit defensorem matrimonii diligere, atque ita porro in iudiciis ulterioris gradus. 7.<sup>o</sup> Si tum prima tum secunda sententia matrimonii nullitatem declaraverit, nec pars, cui intersit, appellationem interposuerit, ac defensor ex conscientia censuerit non provocandum, vel interpositam appellationem minime prosequendam, tunc fas erit utrique coniugi novas contrahere nuptias, dummodo tamen neque ob legitimum impedimentum, neque aliam ob causam a novo ineundo conjugio prohibeantur. Firmum vero manebit causarum matrimonialium privilegium, hoc est, sententias in huiusmodi causis editas post quemcumque temporis lapsum numquam transire posse in rem iudicatam; ideoque si quidpiam repertum sit, vel minime in iudicii disceptatione prolatum, vel ignoratione occultum, ite-

rum eausam de matrimonii validitate in iudicium posse deferri. Huic privilegio obnoxia semper erit facultas coniugum novas nuptias contrahendi. Quod si a secunda sententia contra matrimonii valorem edita vel nulla ex partibus appellaverit, vel sit eiusmodi, ut illi defensor minime acquiescat ex conscientia, sive quod ei manifeste iniusta, aut invalida videatur, sive quod in tertii gradus iudicio lata fuerit contra sententiam in secundo gradu emissam pro valore matrimonii, tunc haud licebit utrique coniugi ad novas nuptias transire sub poenis superius commemoratis, iterumque causa in tertia et quarta instantia erit cognoscenda, servatis omnibus, et singulis, quae praescripta sunt in primae, et secundae instantiae iudiciis etiam quod spectat ad matrimonii defensorem. 8.<sup>o</sup> Matrimoni defensor emolumenta accipiet, quae descripta sunt in predicta Benedicti XIV Constitutione.

XII. In Regulares, et in eorum causas nulla Archiepiscopis et Episcopis per praesentes Litteras facultas conceditur, sed in eos, et in illorum causas in casibus a iure permissis ea tantum auctoritate uti poterunt, quae Ordinariis iuxta Sacros Canones, Concilium Tridentinum, et Apostolicas Constitutiones revera competit. Quapropter ipsi Ordinarii nullo modo poterunt praetergredi limites a iure praescriptos, et impedire, quominus Regularium Ordinum Superiores ad normam ac tramites peculiarium cuiusque Ordinis Constitutionum suam jurisdictionem, auctoritatemque libere exerceant, ac procedant: secus sententiac ab Archiepiscopis et Episcopis la-

tae, et omnia alia acta ab ipsis gesta nulla et irrita omnino sint.

XIII. Ut autem Religiosis occurramus, qui causam de nullitate eorum professionis promovere volunt, non obstante Constitutione a Benedicto XIV Decessore Nostro IV Nonas Martii an. MDCCXLVII edita incipit « *Si datam* » haec quae sequuntur observanda esse mandamus. Si quis ultra quinquennium ad tramites Concilii Tridentini computandum causam instituere velit de restitutione in integrum, de hac re supplicare debet Apostolicae Sedi. Si vero ex informationibus, quas super hac re sumendas existimaverit Summus Pontifex, preces exhibitas iustis inniti argumentis deprehenderit, in singulis casibus in Sicilia unum, vel plures eiusdem insulae Episcopos designabit, cui, vel quibus preces remittet, ut de huiusmodi causa ad tramites iuris disceptent, ac decisionem edant, decisionemque ab iis latam nulli plane obnoxiam volumus appellationi apud quodecumque tribunal. Si definitum fuerit, locum esse restitutioni in integrum, vel si quis infra quinquennii spatium causam intendere velit super nullitate religiosae professionis, causa erit instituenda coram Ordinario loci, ac Superiore regulari, qui Ordinario ipsi, uti iudex assidebit. Fas erit Ordinario causam huiusmodi deferre ad suum tribunal definitiendam; quod quidem tribunal constabit ex Vicario Generali, et ex personis ecclesiasticis, inter quas iudex assideat Superior regularis, ita tamen, ut iudicium numerus dispar sit, et iisdem omnibus competit votum decisivum. Decisio hac ratione per Ordinarium edita seu validam,

scu nullam declaraverit regularem professionem, novae revisioni erit subiicienda, ut inde duae decisiones conformes existant. Quamobrem Ordinarius ipse decisionem suam Apostolicae Sedi communicabit, ut Summus Pontifex unum vel plures Episcopos, ut supra, designet ad causae revisionem instituendam, adiecta etiam, si opportum illi videatur, ad iudicandum regulari persona. Nova haec revisio sive ab uno, sive a pluribus Episcopis iuridice erit instituenda. Si secunda decisio a prima discrepet, locum esse volumus tertiae revisioni, ac proinde ab Episcopo, ac si plures fuerint, a digniore inter eos secunda decisio communicanda erit Sanctae Sedi, ut causa in Romana Curia ad formam iuris absolvatur, vel ut Romanus Pontifex, si id pars petierit, alium vel alios Episcopos, veluti supra statutam est, designet pro instituenda tertia revisione, ac tertia item a deo Sedi Apostolicae, quemadmodum superius fuit iudicatum, erit ecommunicanda. Posteaquam duae decisiones prolatae sint pro nullitate regularis professionis, et ipsius professionis defensor minime censuerit esse appellandum, quemadmodum ut supra prescriptum est quoad causas matrimoniales, tunc religiosa persona tamquam nullo obstricta voto egredi ab Ordine poterit; quod si post unicam decisionem pro nullitate latam, vel adhuc pendente aut omissa revisione, e claustris exire, et religiosum Ordinem deserere, vestemque Ordini suo propriam exuere ausus fuerit, in poenas omnes ac censuras incurret, quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones contra apostatas comminantur, atque adhuc

religiosis votis obstricta censebitur. Iam vero tum in causis restitutionis in integrum , tum in aliis super nullitate regularis professionis, ac successivis revisionibus, et singulis illarum partibus observari omnino volumus, ac mandamus memoratam Constitutionem Benedicti XIV, quae incipit « *Si datam* » in iis tamen articulis , seu partibus , quae supradictis Nostris concessionibus minime aduersantur; quapropter qui erunt observandi articuli, eos summatim indicandos censemus. 1.º Concilii Tridentini decretum Sess. XXV de Regularibus cap. 19 etiam Moniales comprehendit. 2.º Praescriptae formae observandae etiam erunt, quoties Religiosus Ordo de nullitate professionis ab alumno aliquo emissae conqueratur. 3.º Quinquennii spatum, intra quod expostulationi locus esse potest, computandum erit a die professionis quolibet in casu, quamvis timor per integrum quinquennii intervallum , ac etiam ultra perduraverit. 4.º Superior regularis qui cum Ordinario de causa iudicabit, erit Moderator, seu Superior actu existens religiosae domus, seu Coenobii, in quo expostulans religiosa vota professus fuerit; pro Monialibus vero, quas Regularibus subhiciantur, erit Superior regularis, cui monasterii regiunen commissum fuerit. Hujusmodi vero Superiori regulares suum in locum sufficere poterunt ecclesiasticam aliam personam ex Clero sive regulari , sive saeculari , quae tamen canonici iuris sit perita. 5.º Nulli religiosae personae intendere causam fas erit super votorum nullitate, nisi antea constet, illam intra claustra degere, ac religiosas iterum induisse vestes, si forte easdem exuerit; ac

durante iudicij cursu subdita manebit Praepositis regularibus sui Ordinis. 6. Probationes extrajudiciales nunquam admittentur ; sed vero in forma iuridica erunt acta conficienda , in quibus articuli exhibeantur a persona , quae contra professionis validitatem agit ; quae sita autem , seu interrogations proponantur a persona, quae tueretur professionis validitatem. Super exhibitis articulis testes examinandi erunt, nec non super propositis interrogationibus. Acta quae huiusmodi forma careant, et decisio iis innixa nullitatis vitio laborabunt , haud exclusis vitiis aliis, propter quae ad formam iuris irrita esse queant. 7.º Sub eadem poena nullitatis ad quaestionem vocandi erunt, atque audiendi patroni, seu defensores religiosae domus, seu coenobii , seu monasterii , in quo expostulans vota professus sit, itemque expostulantis propinquai, et quaelibet alia persona, cui ipse ante professionem bona cesserit , vel donaverit , nec non personae, quae tamquam incussi timoris, vel auctores, vel complices habeantur ; si ob metum praesumatur invalida votorum professio, ac denique omnes in causam erunt vocandi, quibus interesse queat votorum, seu religiosae professionis validitas. Porro tum in prima quaestione, seu causa, tum in sequentibus revisionibus, ab Ordinario, ad quem decisio pertinet , vel ab Episcopo , sive Episcopis , cui, vel quibus revisio commissa est, inter personas probitate, fide, ac iuris canonici scientia praestantes patronus seu defensor religiosae professionis eligetur, prout in causis matrimonialibus, qui praestito iuramento de officio suo recte ac fideliter ad-

ministrando tum in adeundo, atque assumendo eodem officio, tum in singulis quaestionibus, seu causis, ad quas debeat acedere, vocandus et audiendus erit in omnibus et singulis actis tum voce, tum scripto; itemque sub pena nullitatis citandus erit ad omnes quaestiones seu causas, et illarum revisiones, quemadmodum praescriptum et in causis de matrimonio. Quod vero spectat ad huiusmodi defensoris emolumenta, iisdem consuletur ad formam memoratae Constitutionis Praedecessoris Nostris Benedicti XIV. 8.<sup>o</sup> In iudicio restitutionis in integrum Episcopus vel Episcopi a Sancta Sede designandi deputabunt patronum, seu defensorem religiosae professionis, ac praeterea in conficiendis actis, eorumque forma in citandis partibus, quae adesse debeant, illa omnia servahunt, quae superius constituta sunt in causis intra quinquennium instituendis.

XIV. Siculorum utilitati et commodo prospicere vehementer cupientes omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Nullius Dioecesis in Sicilia existentibus Ordinariis ac etiam Vicariis Capitularibus canonice electis specialem facultatem tribuimus concedendi matrimoniales dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sive simplici, sive duplici, ac etiam mixto, dummodo primum non attingat, et dummodo canonica adsit causa, et dispensatio gratis omnino concedatur, nullo prorsus vel minimo recepto emolumento, et in eorum tantum favorem, qui vere pauperes sint. Volumus tamen atque praecipimus, ut in singulis dispensationibus concedendis semper

expressa fiat mentio huiusce specialis Apostolicae facultatis. Atque etiam volumus, huiusmodi de praedictis matrimonialibus dispensationibus concedendis facultatem a Nobis tributam ita omnino esse ab omnibus intelligendam, ut nemo unquam eam interpretari queat veluti impedimentum, quoniam Siculi fideles, si ipsis placuerit, possint supplices hanc Apostolicam Sedem directo adire ad easdem assequendas dispensationes.

XV. Demum declaramus tum facultatem dispensandi super enunciatis impedimentis matrimonialibus, tum alias superioris memoratas Apostolicas concessiones ad decennium tantum hinc proximum a die, quo praesentes sub Annulo Piscatoris, et aliae Nostrae de hac re hoc eodem die sub Plumbo editae Litterae fuerint vulgatae, computandum esse valutas.

Non obstantibus, quatenus opus sit, scilicet rec. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Nostri una et Concilii Generalis de duabus diaetis, ita ut vi-  
gore praesentium etiam ultra duas, pluresve diaetas quilibet in iudicium trahi possit, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus et singulis illis, quae in praedicta Nostra Constitutione hodierno die edita, non obstatere voluimus, ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Iam vero maiore, qua possumus, animi Nostri contentionе Vos etiam atque etiam monemus, hor tamur, et obsecramus, Venerabiles Fratres, ut illa Episcopali fortitudine, qua omnes Sacrorum Anti-

stites pollere debent, ea omnia, quae constituimus,  
atque sancivimus, servanda ac perficienda curetis,  
et singularem adhibeatis vigilantiam, ut omnes Vobis  
subjiciendi eadem diligentissime exsequantur. Ac  
vestrum zelum vehementer in Domino excitamus,  
ut hisce praesertim calamitosissimis christianaे,  
civilisque reipublicae temporibus, quibus Dei hominumque  
hostes nefariis omnis generis molitionibus Arcem Sion quaquaversus invadere, et in  
hanc Petri Sedem, quam Redemptor Noster Christus Iesus posuit in columnam ferream, et in murum aeneum adversus principes tenebrarum, irruere  
et sanctissimae religionis fundamenta convellere,  
omniumque animos mentesque corrumpere conni-  
tuntur, pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua  
insigniti estis, et pro potestate, quam accepistis a  
Domino, velitis catholicae Ecclesiae causam, iura,  
doctrinam, libertatem ac disciplinam impavide tueri,  
propugnare, et animarum saluti studiosissime con-  
sulere. Nihil igitur intentatum, nihilque inexper-  
tum unquam relinquite, ut fideles Vobis concreti  
quotidie magis enutriti verbis fidei, et religionis,  
ac pietatis sensibus incensi ambulent digne Deo per  
omnia placentes, ac summa Nobis, et huic Petri  
Cathedrae observantia constantissime adhaerere,  
debitamque Ecclesiae legibus, disciplinae, et Sac-  
rorum Canonum sanctionibus reverentiam et obe-  
dientiam profiteri glorientur. Atque omnium cae-  
lestium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae  
in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedic-  
tionem ex imo corde profectam Vobis, Venerabiles  
Fratres, ac Dilecti Filii, peramanter impertimus.

Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu aliquius publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae ecclesiastica dignitate ornatae munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud adhibetur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Januarii Anno MDCCCLXIV.  
Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

AD PRESBYTERVM CYRINVM RINALDI

**S**anctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. IX gravissima considerans mala, quae in Siciliae Ecclesias ex praetensa Legatione, et ex Tribunal i ita dictae Monarchiae redundarant, supremi Apostolici sui ministerii officium esse existimavit opportunum et efficax adhibere remedium. Quapropter die decima huius mensis vulgavit Apostolicas Litteras sub Plumbo editas, et incipientes « Suprema », quibus de medio tollit commemoratam praetensam Legationem, ac Tribunal, et penitus extinguit, ac abolet munus et officium tum Iudicis praedicti Tribunalis, tum aliorum omnium Officialium, et Ministrorum, qui ad idem Tribunal quovis modo pertinent. Spiritualibus autem Siciliae fidelium necessitatibus idem Summus Pontifex consulens eodem tempore edidit et publicavit Apostolicas Litteras Annulo Piscatoris obsignatas, quibus peculiares Sacrorum eiusdem Insulae Antistitibus facultates conceduntur.

Post huiusmodi publicationem, quae solemnem supremae Ecclesiae auctoritatis actum constituit, nemini ex catholicis certe licet eidem actui ullo modo refragari, quin immo omnes conformare se debent ad Pontificias ordinationes, quae in memoratis Apostolicis Litteris sub Plumbo expeditis continentur. Itaque, Sacerdos Cyrine Rinaldi, qui

sic appellatae Monarchiae iudicis munere fungebaris , ne Te ab earumdem Apostolicarum Litterarum observantia eximere unquam possis praetextens ignorantiam aut aliam excusationem, et, quod Deus avertat, cum animae tuae detimento, et fidelium damno et scandalo attentes actus nullos , quorum coram Deo , et Ecclesia reus eris , idem Summus Pontifex huic Sacrae Congregationi negotiis Episcoporum et Regularium praepositae expresse in mandatis dedit , ut earumdem Apostolicarum Litterarum sub Plumbo exemplar Tibi mittat, et eodem tempore Tibi suo nomine , et Apostolica Auctoritate denuntiet maioris excommunicationis poenam latae sententiae ipso facto absque ulla alia declaratione incurram, cuius absolutio ipsi Summo Pontifici reservatur, excepto tantum tempore, quo verteris in mortis articulo, quoties seu directe, seu indirecte et quovis modo ausus fueris vel earumdem Litterarum exsecutionem impedire, vel nomen officii, quod gerebas, retinere, vel eiusdem officii exercitio Te immiscere sub quolibet titulo, praetextu et colore, et quocumque actu etiam extrajudiciali, et oeconomico per interpositam quoque personam peracto.

Haec igitur Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Pontificis Maximi imperata faciens Tibi exemplar mittit earumdem Apostolicarum Litterarum sub Plumbo editorum « Suprema » ac praesenti Monitorio poenam excommunicationis a Sanctitate Sua statutam, veluti supra dictum est, Tibi indicit, ac simul declarat, quod eiusdem excommunicationis coinnitione minime intenditur derogari

aliis ecclesiasticis censuris ac poenis , quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones in illos infligunt , qui exsecutionem Actorum Sanetae Sedis impediunt, vel ecclesiasticam iurisdictionem usurpant, vel liberum Episcoporum auctoritatis exercitium perturbant.

Quod autem attinet ad Actus per abusionem factos , quibus praeterito tempore locum dedisti , Sanctitas Sua Te etiam atque etiam hortatur , et monet, ut Sacerdotalis Tuae praesertim conditionis memor velis conscientiae Tuae sedulo , ac serio consulere, p[re] oculis habens, poenas ab hominibus statutas eludi posse, sed punientis Dei manum vitari nunquam posse.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die XV Octobris Anno MDCCCLXVII.

A. CARD. QUAGLIA PRAEF.

*Stanislaus Svegliati Secr.*

## EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS , PRIMATIBVS ,  
 ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS VNIVERSIS CATHOLICI  
 ORBIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE  
 HABENTIBVS .

PIVS PP. IX.

**V**enerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Levate, Venerabiles Fratres, in circuitu oculos vestros , et videbitis , ac una Nobiscum vehementer dolebitis abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur. Nos quidem inscrutabilia humillime adoramus iudicia Dei, cui placuit, Nos vitam agere hisce luctuosissimis temporibus, quibus nonnullorum hominum opera, et eorum potissimum, qui in infelicissima Italia rem publicam regunt ac moderantur, veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges plane despiciuntur, et impietas impune caput altius extollit , ac triumphat. Ex quo omnes iniqüitates, mala, et damna, quae cum summo animi Nostri moerore conspicimus. Hinc multiplices illae hominum phalanges , qui ambulantes in impietatisbus, militant sub satanae vexillo, in cuius fronte est scriptum « *Mendacium* » , quique rebellionis nomine appellati, ac ponentes os suum in caelum, Deum blasphemant, sacra omnia polluunt, contem-

nunt, et quibusque iuribus divinis humanisque proculcatis, veluti rapaces lupi praedam anhelant, sanguinem effundunt, et animas perdunt suis gravissimis. scandalis, et propriae malitiae lucrum iniustissime quaerunt, et aliena violenter rapiunt, ac pusillum et pauperein contristant, miserarum viduarum et pupillorum numerum augent, ac donis acceptis, veniam impiis tribuunt, dum iusto iustitiam denegant, eumque spoliant, et corrupti corde pravas quasque cupiditates turpiter explere contendunt cum maximo ipsius civilis societatis damno.

Hoc perditorum hominum genere in presentia circumdati sumus, Venerabiles Fratres. Qui quidem homines diabolico prorsus spiritu animati mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma urbe Nostra, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum. Ac Subalpini Gubernii Moderatores, qui huiusmodi homines coercere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma, resque omnes suppeditare, et ad hanc urbem aditum munire non erubescunt. Sed omnes hi homines, licet in supremo civilis potestatis gradu et loco collocati, paveant; quandoquidem hac improba sane agendi ratione se novis obstringunt laqueis ecclesiasticarum poenarum et censurarum. Etsi vero in humilitate cordis Nostrri divitem in misericordia Deum enixe orare et obsecrare non desistimus, ut hos omnes miserrimos homines ad salutarem poenitentiam, atque ad retum iustitiae, religionis, pietatis tramitem reducere dignetur; tamen tacere non possumus gravissima pericula, quibus in hac hora tenebrarum expositi sumus. Animo plane tranquillo quoscumque rerum

eventus, licet nefariis fraudibus, calumniis, insidiis, mendaciis excitatos, expectamus, cum omnem nostram spem et fiduciam collocemus in Deo salutari nostro, qui adiutor est Noster, et fortitudo in omnibus tribulationibus Nostris, quique in se sperantes confundi non patitur, et impiorum insidias subvertit, et peccatorum cervices costringit. Interim haud possumus, quin Vobis in primis, Venerabiles Fratres, et omnibus fidelibus curae vestrae commissis denuntiemus tristissimam conditionem et maxima, in quibus per Subalpini potissimum Gubernii operam nunc versamur, pericula. Quamvis enim fidissimi Nostri exercitus strenuitate ac devotione defensi simus, qui, rebus praeclare gestis, prope heroicam prae se tulit virtutem; patet nihilominus ipsum diu resistere nequire numero longe maiori iniustissimorum aggressorum. Et licet non mediocri utamur consolacione ob filialem pietatem, qua Nos reliqui subditi Nostri a sclestis usurpatoribus ad paucos redacti, prosequuntur, vehementer tamen dolere cogimur, ipsos non posse non sentire gravissima pericula sibi ingruentia ab efferatis nefariorum hominum turmis, qui eos iugiter minis omnibus terrent, spoliant, et quoquo modo divexant.

At vero alia nunquam satis lugenda mala deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Ex Nostra praesertim Consistoriali Allocutione die XXIX mensis Octobris superiori anno habita, ac deinde ex narratione documentis munita, et in lucem typis edita, optime cognovistis quantis calamitatibus catholica Ecclesia, eiusque filii in Russico Imperio ac Poloniae Regno miserandum in modum vexentur ac

lacerentur. Namque catholici Sacrorum Antistites et ecclesiastici viri laicique fideles in exilium electi, in carcere detrusi, ae modis omnibus divexati, propriisque bonis spoliati, ac severissimis poenis afflitti et oppressi, et Ecclesiae carones ac leges omnino proculatae. Atque his minime contentum Russicum Gubernium pergit ex avito proposito Ecclesiae disciplinam violare, et unionis et communicationis illorum fidelium cum Nobis, et hae Sancta Sede vineula frangere, ac omnia moliri et conari, ut in illis dominiis catholicam religionem funditus evertere, et illos fideles a catholicae Ecclesiae sinu avellere, et ad funestissimum schisma pertrahere possit. Cum incredibili animi Nostrri moerore Vobis significamus, duo nuper decreta ab illo Gubernio post ultimam commemoratam Nostram Allocutionem edita fuisse. Ac decreto die XXII proximi mensis Maii vulgato, per horrendum ausum Podla-chiensis Dioecesis in Poloniae Regno una cum illo Canonicorum Collegio, Consistorio Generali, ac Dioecesano Seminario penitus fuit extincta, et eiusdem dioecesis Episcopus a suo grege divulsus, coactus a dioecesis finibus continuo discedere. Quod decretum simile est illi die III Iunii superiore item anno in lucem edito, de quo mentionem facere haud potuimus, cum illud ignoraremus. Hoc igitur Decreto idein Gubernium non dubitavit proprio arbitrio et auctoritate Cameneciensem dioecesim de medio tollere, et illud Canonicorum Collegium, Consistorium, ac Seminarium disperdere, et proprium Antistitem ab illa dioecesi violenter abripere.

Cum autem omnis via, atque ratio Nobis intercludatur, qua cum illis fidelibus communicare possimus, tum ne quisquam carceri, exilio, aliisque poenis exponeretur, coacti fuimus, in Nostras Ephemerides inserere Actum, quo legitimae illarum ampliarum dioecesium iurisdictionis exercitio, ac spiritualibus fidelium necessitatibus consulendum censuimus, ut illuc per artis typographicae opem notitia perveniret suscepti a Nobis consilii. Quisque vel facile intelligit qua mente, et quo fine eiusmodi decreta a Russico Gubernio edantur, cum multorum Episcoporum absentiae dioecesium quoque accedat suppressio.

Quod autem nostram cumulat amaritudinem, Venerabiles Fratres, est aliud deeretum ab eodem Gubernio die XXII superioris mensis Maii promulgatum, quo Petropoli fuit constitutum Collegium, vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, cui praesidet Mohiloviensis Archiepiscopus. Scilicet omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia pertinentes, quae a Russici Imperii et Poloniae Regni Episcopis, Clero, populoque fidei ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem mittuntur ad hoc Collegium, primum transmittendae sunt, easque Collegium idem examinare debet, ac decernere, utrum petitiones Episcoporum potestatem praetergreditantur, et hoc in casu illas ad Nos perferendas curare. Postquam autem illuc Nostra pervenerit decisio, praedicti Collegii Praeses ad internarum relationum Ministrum decisionem ipsam mittere tenetur, qui expendat, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et supremi Principis iuribus con-

trarium; et quoties hoc non existat, illam pro suo arbitrio et voluntate exsequatur.

Videtis profecto , Venerabiles Fratres , quam vehementer reprobandum ac dammandum sit huiusmodi Decretum a laica et schismatica potestate latum , quo et divina catholicae Ecclesiae constitutio destruitur, et ecclesiastica disciplina subvertitur , et maxima supremae Nostrae Pontificiae , atque huius Sanctae Sedis et Episcoporum potestati auctoritatique iniuria infertur, et summi omnium fidelium Pastoris libertas impeditur, et fideles ad funestissimum impelluntur schisma; ac vel ipsum naturale ius violatur et conculcatur quoad negotia, quae fidem et conscientiam respiciunt.

Ad haec, catholica Varsaviensis Academia deteta est ; ac tristis Chelmensi, et Beltiensi dioecesi Ruthenorum impendet ruina. Atque illud maxime dolendum , quod repertus sit quidam Presbyter Woicicki , qui suspectae fidei , omnibus ecclesiasticis poenis censurisque despectis, terribilique Dei iudicio posthabito, minime exhorruit, eiusdem dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere , et varias iam edere ordinationes, quae dum ecclesiasticae disciplinae adversantur, funestissimo schismati favent..

In tantis igitur nostris et Ecclesiae calamitatibus et angustiis, cum non sit aliis, qui pugnet pro Nobis, nisi Dominus Deus noster, Vos etiam atque etiam vehementer obtestamur , Venerabiles Fratres, ut pro singulari vestro rei catholicae amore et studio , et egregia in Nos pietate velitis ferventissimas vestras cum nostris coniungere preces,

et una cum universo vestro Clero, populoque fideli Deum sine intermissione orare, et obsecrare, ut reminiscens miserationum suarum, quae a saeculo sunt, indignationem suam a Nobis avertat, et Ecclesiam suam sanctam, ac Nos a tantis malis eripiat, eiusdemque Ecclesiae filios, Nobis carissimos, in omnibus fere regionibus ac in Italia praesertim, et in Russico Imperio, ac Poloniae Regno tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos omnipotenti sua virtute adiuvet, defendat, eosque in catholicae fidei eiusque salutaris doctrinae professione magis in dies stabiles servet, confirmet, roboret, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat, illosque de iniquitatis barathro ad salutis viam revocet, et in semitam mandatorum suorum ducat.

Itaque volumus, ut in vestris Dioecesibus publicae pro vestro arbitrio preces per triduum intra sex menses, pro ultramarinis vero intra annum indicantur. Ut autem fideles ardentiore studio hisce publicis precibus adsint ac Deum exorent, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui praedictis tribus diebus devote eisdem precibus adstiterint, ac pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus ex Nostra mente Deum oraverint, et Sacramentali Confessione expiati ac sacra Communione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis autem fidelibus, qui corde saltem contriti in quolibet ex commemoratis diebus reliqua praemissa opera peregerint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus poenitentiis in

forma Ecclesiac consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Denique nihil certe Nobis gratius, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae concreditis peraimanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Octobris Anno MDCCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosecundo.

PIVS PP. IX.

## AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**E**x quo infensissimi hostes Catholici nominis ad illud , si fieri posset , plane delendum , labefactare ausi sunt civilem Sanctae Sedis principatum , subtractisque ab eo florentissimis provinciis , vix aliquas Nobis reliquerunt ad civile imperium angustis sane finibus, nec sine aerarii difficultatibus exercendum , nunquam a proposito discesserunt perfidiosi homines reliquas provincias Nostras occupandi, atque adeo invadendi hanc almam Urbem, in qua divino consilio constituta est Apostolica Sedes fundamentum religionis, magistra fidei, arx et propugnaculum Catholicae veritatis. Hinc machinationes et fraudes , hinc aperta vis nuper adhibita ; quum scilicet ex ima etiam plebe conflatae subitariae cohortes, et ad omne nefas paratissimae Nostras in provincias immissae sunt ad rebellionis signum extollendum , et pages , oppida , civitates terrore, rapinis, et sacrilego quovis scelere funestarunt, quin tamen populos a debita fide, et obsequio erga Nos, et Apostolicam Sedem potuerint dimovere. Atqui in tanto rerum discrimine singularis Nostrorum militum virtus enituit; quippe suos sequuti duces non viarum asperitate deterriti, non longitudine itineris defatigati, non fracti laboribus alacres convolaruut ad comprimentum hostium impetum, commissoque cum iis, ac redintegrato plu-

ribus in locis certamine sic animose , ac fortiter dimicarunt , ut efferatas illas turmas ceciderint , dissipaverint , et oppidanis , ac civibus quietem , securitatemque restituerint. Neque ita multo post , quum armata phalanx Urbis succedere moenibus fuisset ausa ad irruptionem tentandam , ut nimirum cum sui sceleris sociis , qui clam irrepserant , no-vaque excidii instrumenta paraverant , dato coniu-rationis signo , incendiis , expilatione domorum , tem-plorum direptione , bonorum civium sanguine con-ceptum furorem satiarent , suo non defuerunt offi-eio milites Nostri ; detectis namque insidiis , per-fidiam coniuratorum praeverterunt , eisque partim debellatis ac perditis , partim in vincula coniectis sedem hanc religionis , et bonarum artium domici-lium ab impendenti exitio vindicarunt. Sed enim nova oblata est militiae Nostrae exerenda virtutis occasio. Scilicet undique collecta armatorum col-luvies in proxima Sabinensi provincia Eretum oc-cupaverat ; ibique quum multa indigna perpetras-set , effrenique inflammata cupiditate novam Urbis aggressionem meditaretur , tum Nostrae , tun auxi-liares Gallorum copiae missae contra hostem fuere , ut illum adorirentur ; initoque apud Nomentum cer-tamine tantam p̄ae se tulerant in pugnando vim , ardorem , firmitatem , ut praedonum illam multi-tudinem , licet numero superiorem , domuerint , pro-fligaverint , multisque vulneratis , caesis , plurimis in captivitatem abductis , reliquis cum audacissimo duce in fugam conversis , insignem prorsus victo-riam reportaverint. Victrices porro copiae regres-sae in Urbe triumphi in morem exceptae fuerunt ,

cum effusa obviam civitas clamore , plausu strenuissimis viris rem bene gestam gratularetur. Iamvero huius memoria victoriae, quae non sine auxilio Numinis parta est, et nuspia non celebrata laudibus, ut ad omnes aetates propagetur, argenteum signum cudi iussimus in formam crucis octogonae, cuius in extremitatibus inscriptum sit. - PIUS PP. IX. An. MDCCCLXVII. - in medio vero parvum numisma extet in adversa parte referens Pontificiae dignitatis insignia cum inscriptione - FIDEI, ET VIRTUTI - in aversa autem parvam crucem exhibens cum inscriptione - HINC VICTORIA - Huicmodi vero argenteum signum omnibus et singulis praesentibus exercitus Nostri militibus gerere concedimus sinistro pectoris latere appensum ex taenia serica quinque lineis caerulei , et albi coloris distincta; atque ad maiorem laboris mercedem eisdem concedimus , ut unus annus a tempore eximatur , quod est constitutum ad emerenda stipendia, aliaque beneficia iuxta militarem disciplinam consequenda. Praeterea idem argenteum signum sinistro pectoris latere pariter gerendum donamus omnibus, et singulis Gallici exercitus militibus, qui apud Nomentum cum Nostris copiis contra hostiles turmas decertarunt. Denique, ut viri fortissimi, qui Nostris tuendis iuribus, propulsandoque ab Urbe impiorum furori sanguinem suum, vitamque devoverunt, solemne per Nos praeconium obtineant virtutis et laudis , hisce Litteris palam edicimus , ac declaramus , de Nobis , de Apostolica Sede , deque Catholica re optime illos fuisse meritos; quo sane praeconio nihil honorificantius , nihil gloriosius ,

nihil ad immortalitatem nominis dici possit illus-  
trius.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Pi-  
scatoris die XIV Novembris Anno MDCCCLXVII.  
Pontificatus Nostri XXII.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XX. DECEMBRIS  
MDCCCLXVII.

VENERABILES FRATRES

Dives in misericordia Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra moestis rebus iucunda permiscet, Venerabiles Fratres, ut in eo semper sperantes, nullisque deterriti difficultibus pergamus alacriori usque animo iustitiae iter insister, et Ecclesiae suae sanctae causam impavide propugnare, omnésque vires ad Apostolici ministerii Nostrí partes explendas intendere. Omnes profecto vident, quanta divinae suae bonitatis argumenta præbere dignetur clementissimus Dominus inter gravissimas calamitates, quibus in hac tanta temporum iniquitate ubique afflictatur Ecclesia, et haec Apostolica Sedes premitur, atque inter maxima, quibus undique cingimur, pericula. Et sane dum Satanas eiusque satellites, et filii horrendis quibusque modis contra divinam nostram religionem, contra Nos, et hanc Petri Cathedram furere, et saevire, ac infelicissimae Italiae populos, ex parte longe maxima Nobis devotissimos, divexare non cessant, misericors, ac miserator Dominus miris ostentis adest Ecclesiae suae, adest Nobis, et omnipotenti sua auxiliatur virtute. Enim+

vero, Venerabiles Fratres, omnes catholici orbis  
 Sacrorum Antistites arctissimo fidei, caritatisque  
 vinculo Nobis, et huic Sanctae Sedi in dies obstricti  
 unanimes, et id ipsum sentientes qua voce, qua scri-  
 ptis rei catholicae causam defendere, et Nos, et  
 hanc Apostolicam Sedem omni ope iuvare non de-  
 sinunt. Atque etiam laici viri in magnis, publicis  
 que per Europam congressibus suam attollunt vo-  
 cem ad Catholicae Ecclesiae, et huius Sanctae  
 Sedis iura tutanda, et ad civilem Nostrum, eius-  
 demque Sedis Principatum vindicandum. Quae eius-  
 dem civilis Principatus causa in Parisiensi p-  
 resertim Senatu, et in Collegio legibus ferendis nuper  
 fuit unanimis prope suffragiis ac sententiis splen-  
 dide et magnifice propugnata, bonis omnibus plau-  
 dentibus et exultantibus. Catholici autem populi  
 abominandam inimicorum nostrorum perfidiam, ve-  
 hementer detestantes publicis, ac splendidis signi-  
 ficationibus filialem suam erga Nos, et hanc San-  
 ctam Sedem pietatem et venerationem declarare,  
 et continuis largitionibus Nostras, eiusdemque Se-  
 dis angustias sublevare gaudent, atque utriusque  
 sexus fideles, licet pauperes, suo aere Nobis op-  
 tulantur. Ac praesto sunt inter Ecclesiasticos, Lai-  
 cosque Viros tum clarissimi Scriptores, qui suis  
 operibus, tum disertissimi oratores, qui suis ser-  
 monibus in publicis quoque conventibus veneranda,  
 et inconfusa iustitiae, veritatis, et huius Aposto-  
 licae Sedis iura diligenter, sapienterque defendere  
 et adversariorum mendacia refellere summopere  
 gloriantur. Quamplurimi autem viri nobilissimo  
 etiam genere nati, ex omnibus fere regionibus, re-

ligionis causa excitati, propriis familiis, ac etiam uxoribus, filiisque relictis, ad hanc urbem certatim concurrunt, et omnibus despectis incommodis ac periculis, Nostrae militiae nomen dare, et pro Ecclesia, pro Nobis, ac pro civilis Nostri, et huius Sanctae Sedis Principatus defensione vitam ipsam profundere non dubitant. Nec desunt catholici parentes, qui religionis spiritu incensi filios suos etiam unigenitos ad huius Sanctae Sedis causam tuendam mittunt, et illustre Machabaeorum matris aemulantes exemplum, illos pro hac causa sanguinem fudisse gloriantur et gaudent.

Accedit etiam, ut populi civili Nostrae ditioni subiecti, quamvis nefariis omnis generis insidiis, minis, damnisque a perditissimis hominibus exagitati, tamen stabiles et immoti in sua erga Nos, et hanc Sanctam Sedem fide permaneant. Quos inter profecto eminet Romanus Populus Nobis penitus dilectus, summisque laudibus decorandus, cum fere omnes cuiusque ordinis, gradus et conditionis huius Almae Urbis cives singulari Nos affectu et obsequio prosequi ac civili Nostro et Sanctae huius Sedis imperio obtemperare, Nobisque succurrere summopere gestiant. Nostis autem, Venerabiles Fratres, qua fidelitate Nostri milites omni certe laude dignissimi excellant, et qua admirabili virtute ipsi contra scelosissimorum hominum tarmas depugnarunt, et quanta cum gloria in acie mortem pro Ecclesia occubuere. Ac probe scitis, Serenissimum ac Potentissimum nobilis et generosae Gallicae Nationis Imperatorem gravissima Nostra considerantem pericula, strenuos suos misisse milites, qui

cum praestantissimis eorum Ducibus omni alacritate et studio in Nomentano praesertim, et Eretino certamine nostris militibus auxilium dare, et cum ipsis fortiter dimicare, et pro hac Sancta Sede cum summa sui nominis laude mortem oppetere laetati sunt. Neque ignoratis quomodo in sacrarum prae-  
sertim expeditionum regionibus, Deo auxiliante, divina evangelii lux quotidie magis effulgeat, ac sanctissima nostra religio maiora incrementa suscipiat, et sedentes in tenebris, et umbra mortis, depulsa mentis caligine ad sanctae matris Ecclesiae sinum confugiant, et quomodo ubique varia pia instituta quibusque christiana, civilisque societatis classibus et necessitatibus vel maxime utilia in dies augeantur.

Quae quidem omnia a Nobis breviter commemo-  
rata, ac multiplices impiorum hominum insidia*e*m  
miro modo detectae, ac dissipatae luculenter ostendunt, quomodo omnipotens, et misericors Dominus, in cuius manu sunt hominum corda, Ecclesiam suam mirifice tueatur, defendat, et evidentissime confirmet, inferi portas nunquam adversus eam esse praevalituras, Ipsumque Nobiscum esse omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Itaque, Venerabiles Fratres, maximas, ac immortales clementissimo misericordiarum Patri pro tot acceptis beneficiis semper agamus gratias, oranemque spem, et fiduciam in Eo unice collocantes, non desistamus ferventissimis precibus Ipsum exorare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi perget Ecclesiam suam ab omnibus eripere calamitatibus, ac Nos liberare a nostris, suisque

inimicis, eorumque impia consilia et desideria confundere, et dissipare. Atque etiam Eum deprecemur, ut eosdem inimicos atque etiam illos, qui contra Nos pugnantes in Nostrorum militum protestatem redacti, omnique caritate a Nobis tractati in sua pertinacia persistunt, ad salutarem poenitentiam, ac rectum iustitiae tramitem reducere dignetur. Quo vero facilius annuat Deus precibus nostris, deprecatores apud Eum indesinenter adhibeamus primum quidem Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, quae omnium nostrum est amantissima mater, ac potentissimum christianorum auxilium, quaeque *quod quaerit invenit, et frustrari non potest*; deinde vero Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum eius Paulum, omnesque Santos Caelites, qui cum Christo regnant in caelo. Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis temperare non possumus, quin meritas, amplissimasque laudes tribuamus, et gratissimi animi Nostri sensus iis omnibus, et singulis profiteamur, qui Nostram, huius Sanctae Sedis, Ecclesiaeque causam tum voce, tum scriptis, tum subsidiis, tum alia quavis opera, ac vel ipsius vitae discrimine tanta cum sui nominis gloria propugnare contendunt. Atque haud omittimus in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione Deum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, humiliter enique precati, ut istos omnes Ecclesiae suae filios Nobis carissimos, ac strenuissimos eiusdem Ecclesiae defensores uberrimis quibusque divinae suae gratiae donis, omnibusque caelestibus suis benedictionibus cumulare velit.

## LITTERAE APOSTOLICAE

Q V I B V S

CARDINALIS HIERONYMVS D' ANDREA AD INSIGNIA,  
 ET PRIVILEGIA CARDINALITIAE DIGNITATIS  
 RESTITVITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

**A**póstolici Nostri officii memores per similes in forma Brevis Litteras die XII Junii anni MDCCCLXVI datas Hieronymum d' Andrea S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem, et Antistitem Cominendatarium Abbatiae Sublaquensis , utpote quod contra canonicas sanctiones et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, Nobis renuentibus, aliasque regiones ad curandam valetudinem suadentibus, Neapolim commigrasset , ibique contra voluntatem Nostram commorari pergeret , et aliis pluribus gravioribusque de causis ab administratione utriusque dioecesis ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum suspendimus, et Apostolicos administratores eisdem dioecesibus praefecimus. Postea vero per similes Nostras pariter in forma Brevis Litteras die XXIX

septembris superioris anni MDCCCLXVII evulgatas gravissimis Nos permoti causis, prout in memoriae Litteris videre licet, dictum Cardinalem ab omnibus iuribus, privilegiis et insignibus Cardinalitiae dignitatis, ac potissimum a voce activa, et passiva in electione Summi Pontificis suspendimus, eique trium mensium terminum adsignavimus a datis iisdem Litteris computandum, infra quem personaliter, et cum effectu coram Nobis sistere se deberet ad audienda humiliter mandata Nostra, quo termino inutiliter elapso ipsum tum Cardinalatu et Episcopatu Sabinensi, qui eius Cardinalatui adnexus est, tum Abbatia Sublaquensi, aliisque Beneficiis privatum iri declaravimus. Nunc vero, quum memoratus Cardinalis infra dictum temporis spatium in Urbem reversus admissa sua scripto reprobaverit, illum apud Nos excipiendum, et honores, ac privilegia Cardinalitiae dignitatis eidem restituenda censuimus. Nos itaque memoratum Cardinalem Hieronymum d' Andrea ad insignia, honores, ac privilegia Cardinalitiae dignitatis, ac proinde ad vocem activam, et passivam in electione Summi Pontificis auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium restituimus. Quod vero spectat ad regimen Ecclesiae Sabinensis, et Abbatiae Sublaquensis, eas curari, ac regi volumus ab Apostolicis Administratoribus a Nobis deputatis, donec aliter per Nos, et Apostolicam Sedem statuatur. Haec volumus et mandamus, contrariis etiam speciali mentione dignis minime obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pisatoris die XIV Ianuarii Anno MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri Anno XXII.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ORDO EQVESTRIS S. SEPVLCR<sup>I</sup>  
NOVIS AVGETVR HONORIS GRADVS

PIVS PP. IX

AD PERPETUAM REIME MORIAM

« **C**um multa sapienter ad sanctissimae religionis nostrae utilitatem a Pontificibus Maximis Praedecessoribus Nostris constituta et perfecta sunt , tum illud profecto quod instituendis deferendisque virtuti honoribus et praemiis catholicos homines ad bene de christiana republica merendum in dies magis omni studio inflamarunt. Illorum praeclara exempla Nos intuentes , apostolici ministerii Nostrri esse duximus, ut curas illuc Nostras intenderemus hac praesertim aetate tum scelerum tum magnarum etiam foecunda virtutum, quae splendorem suum longe lateque protulerunt. Hinc Nos, qui a primis Pontificatus Nostrri annis equestrem Ordinem Pianum Apostolica auctoritate constituimus, nunc ultro animum ad Ordinem Equestrem S. Sepulcri novo decore augendum ornandumque adiicimus, ex quo nempe non parvum utilitatis fructum catholicae Religioni in sacratis Palestinae regionis terris obventurum esse confidimus. Hic namque Ordo, ori-

ginis antiquitate commendatus, ac deinceps Praedecessorum Nostrorum auctoritate curisque excul-  
tus, ex institutione sua eo potissimum spectat, ut  
hominum studia ad defendendam et promovendam  
catholicam religionem in locis terrae sanctae in-  
cendantur, eorumque merita debito honoris praemio  
cohonestentur. Illud enim Nobis ex certa monumen-  
torum fide compertum est, iam inde a saeculo chri-  
stiani aevi XV Custodem, (seu uti vocant) Guar-  
dianum Religiosae Familiae Minorum Observantium  
S. Francisci Hierosolymis degentis, in equestrem  
Ordinem S. Sepulcri, viros optime de religione  
meritos ex concessione Apostolica adscivisse, atque  
ex eo tempore iam viguisse leges ac Statuta qua-  
dam generalia quoad praedictos Equites, quae a  
fel. rec. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro Apo-  
stolicis Litteris sub plumbo editis anno MDCCXLVI.  
incipientibus. — In supremo militantis Ecclesiae —  
renovata sunt, novisque legibus ac praescriptioni-  
bus munita. Iam vero Nos eiusdem equestris Ordinis  
dignitatem prae oculis habentes, an. MDCCCLXVII.  
Litteris a Nostra Congregatione Fidei Propagandae  
datis die X. Decembris et Nostra auctoritate san-  
citis, de iis opportune statuimus quae ad regimen  
Patriarchalis Sedis Hierosolymitanae latini ritus per-  
tinebant, eodemque anno exercitium iurisdictionis  
latini Patriarchae Hierosolymis restituimus, iisdem  
pariter litteris ius instituendi Equites S. Sepulcri  
ad commemoratum Patriarcham privative transtu-  
limus, adeo ut ipse deinceps, uti legitimus eque-  
stris eius Ordinis Administrator et Rector, delega-  
tione ac nomine Apostolicae Sedis, equestrem digni-

tatem conferre posset. His vero de administratione et regimine Ordinis auctoritate Nostra constitutis, intelleximus deinde, nonnulla esse quae ad ampliorrem eiusdem splendorem opportune constituenda viderentur. Nuper enim Venerabilis Frater Iosephus Valerga Hierosolymitanae Ecclesiae Patriarcha Latinus exponendum Nobis curavit, quum unicus dumtaxat Equitum gradus in Ordine S. Sepulcri ab origine sit institutus, necessario fieri ut in remunerandis viris optime meritis nullum haberi possit honoris discrimen, quod dispar meritorum ratio, et maioris fastigii dignitas saepe requirunt, atque inde etiam consequi ut, aut paucis idem honor reservari debeat, aut communicata cum pluribus eius gloria, ipse honor apud maiorum meritorum et ordinum homines obsolescere videatur. Quamobrem idem Venerabilis Frater, ut aliquod remedium huic incommodo afferri possit a Nobis postulavit, ut equestrem Ordinem S. Sepulcri in tres Equitum gradus divideremus. Nos itaque et eiusdem Venerabilis Fratris postulationibus obsecundare volentes, et amplitudini praedicti Ordinis consulere cupientes, tribus Venerabilibus Fratribus S. R, E. Cardinalibus commisimus, ut de re tota cognoscerent, suamque Nobis sententiam significant. Perspecta autem sententia eorumdem Cardinalium qui Venerabilis Fratris Patriarchae Hierosolymitani postulationibus annuendum censuerunt, Nos rebus omnibus mature perpensis, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium statuimus, atque decernimus, ut deinceps Ordo equestris S. Sepulcri tribus omnino constet distinctis Equitum gradibus, nempe, Equitum

primae classis, seu Magnae Crucis, Equitum secundae classis, seu Commendatorum, et Equitum tertiae classis, qui omnes insigne, quod proprium est Ordinis, distincta ratione pro suo quisque gradu praeferre debeant. Insigne autem Ordinis, ex vetere eiusdem more Crux erit, quae a Godefrido Bulionio, magno illo celebris expeditionis ad recuperandam terram Sanctam duce, nomen habet; Crux nempe aurea encausto sanguinei coloris illita, quae quatuor inter minores aureasque cruces a lateribus haerentes, eodemque encausto illitas praecellit; quae quidem maior Crux ad exclusionem quatuor minorum, eam formam praeseferat, quae potentia duci solet. Religionis autem ratio postulat, ut nulla huic Crucis a vertice corona imponatur, nempe in memoria pientissimi illius Ducis qui regium diademam ibi accipere noluit, ubi Christus Iesus spinea corona praeciunctus apparuit. Taenia autem, ex qua Crux pendeat, serica erit undati operis, nigrantisque coloris, qualis in hoc Ordine adhiberi consuevit. Primae classis Equites proprium Ordinis insigne ita deferent, ut e fascia serica praelonga praedicti coloris a dextero humero ad sinistrum latus sustineatur. Concedimus autem, ut qui in hanc classem cooptati fuerint privilegio item polleant gestandi in sinistro pectoris latere magnum Numisma argenteum insigne Ordinis referens ad instar eorum numismatum, quae ab Equitibus primae classis aliorum Ordinum aptata sinistro lateri deferri solent. Equites secundae classis, seu Commendatores insignie Ordinis maioris moduli eadem ex taenia e collo appensum deferent. Equites demum tertiae classis,

insigne ipsum minoris moduli ex praedicta taenia pendens sinistro pectoris latere iuxta communem Equitum morem gerant. Quoniam vero Equites S. Sepulcri ex instituto propria veste utuntur albi coloris, ita volumus ut vestis ornamenta pro vario Equitum gradu differant, iuxta schema cuiusque classis proprium, quod viris inter Equites cooptatis tradetur. Confidimus autem ut praestantes viri ad egregiam operam religioni navandam in locis terrae Sanctae inflammentur, atque omnes qui hisce insignibus decorati fuerint dignitati Ordinis ipsius sua virtute decus ac splendorem adiificant. Ius eligendi atque instituendi Equites Venerabili Fratri Patriarchae Hierosolymitano latini ritus eiusque successoribus ita confirmamus, pro certo habentes magno semper in pretio apud omnes praedicti Ordinis dignitatem et amplitudinem futuram, quippe quod ex speciali ipsius Apostolicae Sedis delegatione et nomine eiusdem insignia conferantur. Volumus autem ut idem Patriarcha Hierosolymitanus latini ritus eiusque successor in praedictis insignibus tribuendis eam omnino normam praescriptionemque sequi debeant, quam auctoritate Nostra sancitam eidem Patriarchae a Secretario Nostro Brevium tradi praecepimus. Haec volumus et statuimus, non obstantibus quatenus opus est Nostrae et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis speciali etiam mentione dignis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub  
an-  
nulo Piscatoris die XXIV Ianuarii MDCCCLXVIII.  
Pontificatus Nostri Anno XXII.

Loco ✠ Sigilli

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XIII. MARTII  
MDCCCLXVIII.

VENERABILES FRATRES

**V**ehementer exoptamus, Venerabiles Fratres, amplissimum vestrum Ordinem Collegarum numero imminutum supplere, et eos remunerare, quia plures per annos egregiam, ac laboriosam Ecclesiae, Nobis, et huic Apostolicae Sedi operam praestiterunt. Itaque constituimus hodierno die praeclarissimos Viros Sacra Romana Purpura decorare, qui religione, pietate, morumque integritate, ac singulari erga Nos, et hanc Petri Cathedram fide et obseruantia spectati, ac ingenio, et sacrarum praesertim disciplinarum scientia praestantes in commissis sibi muneribus naviter, scienterque obeundis de catholica Ecclesia optime meriti possint una Vobiscum in hac tanta temporum asperitate Nobis in gravissimis sacrosanctae religionis, et universae Ecclesiae negotiis expediendis opem, auxiliumque ferre. Ac proinde inter illos, quos in Collegium Vestrum cooptandos censemus, audietis eorum nomina, qui Nostra, et Apostolicae Sedis Legatione apud Catholicos Principes magna cum Ecclesiae utilitate sunt perfuncti, et eorum, qui vel gravissimum episcopale ministerium egregie obeuntes,

vel strenuam suam operam Nostris hic in Urbe Congregationibus diligenter, ac scite navantes rei catholicae bonum omni studio procurarunt. Neque deerit, qui Nostro latere diu adhaerens trepidis etiam in rebus eximiam suam erga Nos fidem luculenter ostendit, vel qui religionis, ac pietatis laude ornatus, vitaeque integritate commendatus, ac Nobis, et huic Sanctae Sedi addictus Nostram sibi benevolentiam merito comparavit.

Novi porro Cardinales sunt:

Lucianus Princeps Bonaparte Protonotarius Apostolicus ad instar Participantium,  
 Innocentius Ferrieri Archiepiscopus Sidae Noster,  
 et huius Sanctae Sedis apud Fidelissimum Regem Nuntius,  
 Eustachius Gonella in praesentia Episcopus Viterbiensis, et Tuscanensis,  
 Laurentius Barili Archiepiscopus Tyanae Noster,  
 et Apostolicae huius Sedis penes Catholicam Hispaniarum Reginam Nuntius,  
 Josephus Berardi Archiepiscopus Niceae alter a Cardinali a publicis nostris negotiis, et ad Imperiale, Regiamque Russicam Aulam designatus,  
 Ioannes Ignatius Morena nunc Archiepiscopus Vallisoletanus,  
 Raphael Monaco La Valletta Assessor Nostrorum Consilii perduellibus Ecclesiae vindicandis,  
 Eduardus Borromeo Arese Pontificiae Nostrae Aulae Summus Magister,

**Hannibal Capalti a Secretis Nostrae Congregationis  
Fidei Propagandae praepositae.**

**Quid Vobis videtur ?**

**Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apo-  
stolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus et de-  
claramus S. R. E. Cardinales, Presbyteros quidem**

**Lucianum Bonaparte**

**Innocentium Ferrieri**

**Eustachium Gonella**

**Laurentium Barili**

**Iosephum Berardi**

**Ioannem Ignatium Morena**

**Raphaelem Monaco La Valletta.**

**Diaconos vero**

**Eduardum Borromeo Arese**

**Hannibalem Capalti.**

**Cum dispensationibus, derogationibus, clausulis  
necessariis et opportunis.**

**In nomine Patris  et Filii  et Spiritus   
Sancti. Amen.**

AD FUTURAM REI MEMORIAM

**E**xtra Urbis portam, quae Trigemina sive Ostiensis nuncupatur, locus extat ad aquas salvias dictus, ubi Sanctus Paulus Doctor gentium abscisso capite martyrium fertur consummasse, et quo per omnes aetates ex omnibus terrae partibus religionis causa fideles confluerunt. Inibi etiam vetusta assurgit Ecclesia in honorem dicata Sanctorum Martyrum Vincentii, et Anastasii cum adnexo Coenobio, et cum proximis duabus Ecclesiis, sive Oratoriis, quorum unum Genitrici Dei dicatum Scala Caeli appellatur, alterum a Sancto Paulo nomen habet. Porro in memorato Coenobio a vetustis temporibus Monachi Ordinis Cisterciensis consistebant, et saeculo vertente decimo secundo commoratus ibidem est Sanctus Bernardus Ecclesiae doctor, et Cisterciensis eiusdem Ordinis decus, atque ornamentum. Quae quidem religiosa Monachorum familia tribus illis Ecclesiis custodiendis addicta, et exercitio virtutum, et divinarum celebratione Laudum excitandae Fidelium pietati mirum in modum serviebat. Sed eniin quum publicarum perturbatione rerum imminutus admodum esset religiosorum virorum dicti Ordinis numerus, neque amplius in Coenobio Sanctorum Vincentii, et Anastasii vacare, ut antea, Monachi possent sacris officiis, et praesidia salutis aeternae advenientibus illuc fidelibus

exhibere, factum est, ut fel: rec: Leo XII. Prae-decessor Noster per suas in simili forma Brevis Litteras datas die XXIII Iunii Anno MDCCCXXVI Cisterciensis Ordinis Monachis in Coenobio Sanctorum Vincentii, et Anastasii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci subrogaverit, salva tamen urisdictione Cardinalis Abbatis Commendatarii in tres memoratas Ecclesias. Et quoniam ipsos nem dum sacri illius loci custodiae addixit, sed vero etiam praesto esse voluit fidelibus, qui illuc advenientes Sacramento poenitentiae animi sordes abluere, et divina Eucharistia se reficere cuperent, idcirco constare in eodem Coenobio voluit religiosam familiam duodecim saltem Fratribus, quorum sex, vel plures potius Sacerdotes essent, et ex iis quatuor saltem ad excipendas confessiones approbati. Praeterea quoniam religiosis iisdem Fratribus onus imposuerat tuendi, reparandique fabricas trium Ecclesiarum, et sacram omnem suppellectilem comparandi, quae ad Divinum cultum necessaria est, ea de causa ipsis adiudicavit usum-fructum Vineae Coenobio adiacentis, nec non aedificium in Urbe situm ad Monachos Cistercienses antea spectans, quod vulgo dictum est « Ospizio di Tor de' Specchi », itemque Cappellaniam a fel: rec: Pio VII Pontifice Maximo institutam. Attamen ex peculiaribus causis numquam in memorato Coenobio coalescere potuit Fratrum Minorum Franciscalium familia iuxta Leonis XII Praedecessoris Nostri praescriptum, ac proinde religiosi iidem Fratres trium Ecclesiarum custodiam dimittere, impetrata a Nobis venia statuerunt. Nos igitur cu-

pientes ut alter religiosus Ordo Sacri illius loci custodiae advigilet, id consilii cepimus, ut ibi constituamus religiosos viros Ordinis Monachorum Cisterciensium Reformatorum, qui de Trappa nuncupantur, pro certo habentes ipsos pro explorata sua pietate, ac religionis studio votis nostris probe responsuros. Itaque Motu proprio, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolica Nostra auctoritate usum Coenobii Sanctorum Vincentii, et Anastasii ad Aquas Salvias, nec non custodiam adnexarum trium Ecclesiarum ad Nostrum, et Sanctae Sedis beneplacitum Ordini Monachorum Cisterciensium Reformatorum vulgo de Trappa nuncupatorum tribuimus, tradimus, adsignamus, ea tamen sub conditione, ut ibi Monastica coalescat familia, quae una cum Laicis numerum religiosorum virorum non minorem quatuordecim complectatur, et cum iisdem redditibus, emolumentis, oneribus, quibus dictum Coenobium Sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia per Leonem XII Praedecessorem Nostrum traditum fuit. Proinde memoratis Monachis usumfructum concedimus atque attribuimus Vineae dicto Coenobio adiacentis, nec non ius percipiendi medium partem canonis scutatorum annuorum biscentum, qui canon solvit ab emphyteuta aedium urbanarum, quae vulgo dicuntur « Ospizio di Tor de' Specchi » quippe altera media pars eiusdem canonis eleemosynae loco percipiatur a Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quibus Coenobiun cum adnexa Ecclesia Sancti Sebastiani

ad Catacumbas per supradictas Leonis XII Prae-decessoris Nostri Litteras traditum est. Item dictis Monachis Cisterciensis Ordinis de Trappa fructus, et redditus adsignamus Cappelliae per fel. me. Pium VII Praedecessorem Nostrum institutae cum onere Missas celebrandi. Attamen Abbati Commendatario Coenobii SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias pro tempore existentis reservatam volumus illam Coenobii partem , qua in praesens potitur , nec non sartam, tectam volumus ipsius iurisdictionem in Ecclesiam SS. Vincentii, et Anastasii, et in duas adnexas Ecclesias, quas supra memoravimus. Decernentes has Litteras firmas, validas, et efficaces existere , ac fore , suosque plenarios , et integros effectus sortiri , et obtinere , ac illis ad quos nunc spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari , et definiri debere , ac irritum et inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra , et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo , nec non fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super Divisione Materiarum, aliisque Apostolicis Ordinationibus, nec non dictorum Monachorum Ordinis Cisterciensis Reformatorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pisatoris die XXI Aprilis MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo secundo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII IUNII MDCCCLXVIII.

VENERABILES FRATRES

**N**otum Vobis est, Venerabiles Fratres, Nos iamdiu exoptare Oecumenicum omnium catholici orbis Sacrorum Autistitum celebrare Concilium, ut vestris et illorum consiliis, laboribusque adiuti, ea statuere possimus, quae in hac potissimum tanta temporum asperitate ad maiorem Ecclesiae utilitatem quovis modo pertinent. Nunc autem Vobis nuntiamus, opportunum Nos existimare, eiusmodi Generale Concilium futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono in Vaticana Basilica habere, illudque die VIII mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipere. Quocirca Apostolicas Nostras de tanti momenti negotio Litteras a pluribus e vestris Collegis iam recognitas die vicesima nona huius mensis ex more vulgare censemus. Itaque placet ne Vobis, ut eiusmodi generale Concilium a Nobis commemorato anno indicatur, et praedictae Apostolicae Nostrae Litterae enunciato die publicentur?

*Postquam omnes responderunt — PLACET —  
Summus Pontifex prosequutus est*

Summa certe iucunditate afficimur, Venerabiles Fratres, cum videamus vestras sententias unanimi consensione Nostris respondere votis. Interea vero non desistamus levare oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, et incessanter invocare Sanctum Divinum Spiritum, qui verus est sapientiae fons, ut mentes nostras claritatis suae lumine illustret, utque videre possimus quid in hoc Concilio agere, quidve sancire debeamus.

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. IUNI<sup>IS</sup> MDCCCLXVIII

VENERABILES FRATRES

**N**unquam certe fore putavissemus , Venerabiles Fratres, ut post Conventionem a Nobis cum Austriae Imperatore et Rege Apostolico, bonis omnibus exsultantibus , tredecim fere ab hinc annis initam cogeremur hodierno die gravissimas deplo- rare aerumnas, et calamitates, quibus inimicorum hominum opera nunc in Austriaco Imperio catho- lica Ecclesia miserandum in modum affligitur ac divexatur. Siquidem divinae nostrae religionis ho- stes non destiterunt omnia conari, ut eamdem Con- ventionem destruerent, et maximas Ecclesiae, No- bis, et Apostolicae huic Sedi inferrent iniurias. Ete- nim die vigesima prima mensis Decembri superiori anno infanda sane ab Austriaco Gubernio ve- luti Status fundamentum lata lex est, quae in om- nibus Imperii regionibus etiam catholicae religioni unice addictis valere, et vigere omnino debet. Hac lege omnis tum fidei, tum conscientiae, ac doctri- nae libertas statuitur , et civibus cuiusque cultus facultas tribuitur excitandi educationis, doctrinae- que instituta , et omnes cuiusque generis religiosae Societates aequiparantur, et a Statu recognoscun- tur. Equidem ubi primum id dolenter agnovimus,

Nostram vocem statim attollere optavissemus, sed longanimitate utentes tunc silendum censuimus, ea praesertim spe sustentati fore, ut Austriacum Gubernium iustissimis Venerabilium Fratrum Sacrorum in Austria Antistitum expostulationibus dociles praebens aures vellet saniorem induere mentem , et meliora suscipere consilia. Sed inanes Nostrae fuere spes. Namque idem Gubernium die vicesima quinta Maii hoc anno aliam edidit legem, quae omnes illius Imperii populos etiam catholicos obligat, et iubet, filios ex mixtis coniugiis natos sequi debere patris religionem , si masculi sint , si vero feminae religionem matris , et septennio minores debere parentum a recta fide defectionem sectari. Insuper eadem lege plane omnis deletur vis promissionum, quas merito, atque optimo iure catholica Ecclesia omnino exigit , ac praescribit antequam mixta contrahantur matrimonia, et ipsa apostasia tum a catholica, tum a christiana religione ad civile ius elevatur , et omnis Ecclesiae auctoritas in sacra coemeteria de medio tollitur , et catholici coguntur humare in suis coemeteriis haereticorum cadavera, quando iidem haeretici propria non habeant. Ipsum praeterea Gubernium eadem die vicesima quinta Maii huius anni non dubitavit de Matrimonio quoque legem promulgare, qua leges ad commemoratae Nostrae Conventionis normam editas plane abolevit, et in pristinum vigorem restituit veteres Austriacas leges Ecclesiae legibus vehementer adversas , et matrimonium etiam, uti dieunt, civile omnino improbandum asseruit, confirmavit, quando cuiusque cultus aucto-

ritas deneget matrimonii celebrationem ob causam, quae nec valida , nec legalis a civili auctoritate recognoscatur. Atque hac lege Gubernium idem omnem Ecclesiae auctoritatem , et iurisdictionem circa matrimoniales , causas , omniaque tribunalia de medio sustulit. Legem quoque de scholis promulgavit, qua omnis Ecclesiae vis destruitur, ac decernitur supremam omnem litterarum disciplinarumque institutionem, et in scholis inspectionem, ac vigilantiam ad Statum pertinere, ac statuitur, ut religiosa dumtaxat institutio in popularibus scho- lis a cuiusque cultus auctoritate dirigatur , utque variae cuiusque religionis Societas aperire possint peculiares, et proprias scholas pro iuventule, quae illam credendi normam profitetur, utque eiusmodi quoque scholae supremae Status inspectioni subi- ciantur, ac doctrinae libri ab auctoritate civili ap- probentur, iis tantum libris exceptis, qui religiosae institutioni inservire debent, quique ab auctoritate cuiusque cultus approbandi sunt.

Videtis profecto , Venerabiles Fratres , quam vehementer reprobanda, et damnanda sint eius- modi abominabiles leges ab Austriaco Gubernio la- tae, quae catholicae Ecclesiae doctrinae, eiusque venerandis iuribus, auctoritati, divinaeque consti- tutioni, ac Nostrae et Apostolicae huius Sedis po- testati, et memoratae Nostrae Conventioni, ac vel ipsi naturali iuri vel maxime adversantur. Nos igitur pro omnium Ecclesiarum sollicitudine Nobis ab ipso Christo Domino commissa Apostolicam vo- cem in amplissimo hoc vestro consessu attollimus, et commemoratas leges , ac omnia , et singula ,

quae sive in his, sive aliis in rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus ab Austriaco Gubernio, seu ab inferioribus quibusque Magistratibus decreta, gesta, et quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, et decreta ipsa cum omnibus inde consecutis eadem auctoritate Nostra irrita prorsus, nulliusque roboris fuisse, ac fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores, qui se catholicos esse praesertim gloriantur, qui que memoratas leges, acta vel proponere, vel condere, vel approbare, et exsequi non dubitarunt, obtestamur, et obsecramus, ut meminerint Censurarum, poenarumque spiritualium, quas Apostolicae Constitutiones, et Oecumenicorum Conciliorum decreta contra invasores iurium Ecclesiae ipso facto incurrendas infligunt.

Interim vero summopere in Domino gratulamur, meritasque tribuimus laudes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Austriaci Imperii, qui episcopali robore tum voce, tum scriptis Ecclesiae causam, et praedictam Nostram Conventionem impavide tueri, ac defendere, et gregem officii sui admonere non destiterunt. Atque vel maxime optamus, ut Venerabiles Fratres Hungariae Archiepiscopi, et Episcopi egregia eorum Collegarum exempla imitantes, velint pari studio et alacritate omnem in Ecclesiae iuribus tuendis, et in eadem Conventione propugnanda impendere operam.

In tantis autem, quibus Ecclesiam luctuosissimis hisce temporibus ubique affligitur, calamiti-

tatibus, non desinamus, Venerabiles Fratres, ardentiori usque studio in humilitate cordis nostri Deum exorare, ut omnipotenti sua virtute velit nefaria omnia suorum, et Ecclesiae suae sanctae inimicorum consilia disperdere, impiosque eorum conatus reprimere, impetus frangere, et illos ad iustitiae, salutisque semitas sua miseratione reducere.

## LITTERAE APOSTOLICAE

Q V I B V S

INDICITVR OECVMENICVM CONCILIVM ROMAE HABENDVM  
 ET DIE IMMACVLATAE CONCEPTIONI  
 DEIPARAE VIRGINIS SACRO AN. MDCCCLXIX INCIPENDUM

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

**A**terni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem, ut universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate, et errorum tenebris, quibus primi parentis culpa iamdiu misere premebat, in plenitudine temporum vindicaret, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis doctrinam, ac vivendi disciplinam a caelo delatam manifestavit, eamdemque tot admirandis operibus testatam fecit; ac semetipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Antequam vero, devicta morte, triumphans in caelum concessurus ad dexteram Patris concenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, cisque

potestatemi dedit regendi Ecclesiam suo sanguine acquisitam , et constitutam , quae est *columna et firmamentum veritatis* , ac caelestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar *navis in altum saeculi huius ita natu, ut, pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illaesos* (1). Ut autem eiusdem Ecclesiae regimen recte semper atque ex ordine procederet , et omnis christianus populus in una semper fide , doctrina , caritate , et communione persisteret , tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem saeculi promisit , tum etiam ex omnibus unum selegit Petrum, quem Apostolorum Principem, suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque caput, fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuae plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac iurisdictionis amplitudine pasceret agnos et oves, confirmaret fratres , universamque regeret Ecclesiam, et esset *caeli ianitor ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione* (2). Et quoniam Ecclesiae unitas et integritas , eiusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, iccirco in Romanis Pontificibus Petri successoribus , qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati, ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, iurisdictio, primatus plenissime perseverat ac viget.

(1) S. Max. Serm. 89.

(2) S. Leo Serm. II.

Itaque Romani Pontifices , omnem Dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, nunquam intermisserunt omnes perferre labores, omnia suscipere consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis ac iustitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt, quibus indefessis curis iidem Romani Pontifices Fidei depositum, Cleri disciplinam, eiusque sanctam doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari ; et christianam utriusque sexus inventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem fovere, ac iustitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint.

Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societatis calamitatibus, generalia convocare Concilia , ut cum totius catholici orbis Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, collatis consiliis, coniunctisque viribus ea omnia provide sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda , ad grasantibus errores profligandos, ad catholicam propugnandam , illustrandam et evolvendam doctrinam , ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam , ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere.

Iam vero omnibus compertum exploratumque est qua horribili tempestate nunc iactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim ab acerrimis Dei hominumque hostibus catholica Ecclesia, eiusque salutaris doctrina, et veneranda potestas, ac suprema huius Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites, et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae iuventutis institutio ubique fere a Clero animata, et quod peius est, non paucis in locis iniquitatis et erroris magistris commissa. Hinc cum summo Nostro et bonorum omnium moerore, et nunquam satis deplorando animarum damno, ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio, et effrenata licentia, ac pravarum cuiusque generis opinionum, omniumque vitiorum et scelerum contagio, divinarum humanarumque legum violatio, ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur ac divexetur.

In tanta igitur calamitatem, quibus cor Nostrum obruitur, mole supremum Pastorale ministerium Nobis divinitus commissum exigit, ut omnes Nostras magis magisque exeramtur vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi Dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus co-

natusque reprimendos , qui ipsam Ecclesiam , si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus evertere connituntur. Nos quidem, Deo auxiliante, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio nunquam pro gravissimi Nostri officii debito destitimus pluribus Nostris Consistorialibus Allocutionibus et Apostolicis Litteris Nostram attollere vocem, ac Dei eiusque sanctae Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque huius Apostolicae Sedis, et iustitiae veritatisque iura propugnare , et inimicorum hominum insidias detegere, errores falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas prescribere, ac universi Dominici gregis saluti advigilare et consulere.

Verum illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inherentes opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod iamdiu Nostris erat in votis , cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt. Qui quidem Venerabiles Fratres singulari in Catholicam Ecclesiam amore incensi , eximiaque erga Nos et Apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati , ac de animarum salute anxii , et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una Nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes nihil antiquius habent, quam sua Nobiscum communicare et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. In Oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac

statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorum, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, eiusque salutarem solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emanationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intentissimo studio curandum est, ut, Deo bene iuvante, omnia ab Ecclesia et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra Religio eiusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat, et quotidie magis propagetur et dominetur; atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, caritas omnesque christianaee virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, Catholicae Ecclesiae eiusque doctrinae vim non solum aeternam hominum salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini, ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditati, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendidissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter evidenterque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis Nos mirifice recreat, reficit et consolatur « *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum* » (1), siccirco dubitare

(1) Matth. c. 18. v. 20.

non possumus , quin Ipse in hoc Concilio Nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad maiorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis Nostri dies noctesque fusis precibus hoc Concilium omnino cogendum esse oensuimus.

Quamobrem Dei ipsius omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur , freti et innixi , de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale Concilium in hac alma urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono in Basilica Vaticana habendum, ac die octava mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac, Domino adiuvante, ad ipsius gloriam, ad universi Christiani populi salutem absolvendum et perficiendum, hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus. Ac preinde volumus , iubemus, omnes ex omnibus locis tam Venerabiles Fratres Patriarchas , Archiepiscopos , Episcopos , quam Dilectos Filios Abbates, omnesque alios, quibus iure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, et sententias in eis dicendi facta est potestas , ad hoc oecumenicum Concilium a Nobis indictum venire debere ; requirentes , hortantes , admonentes ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod Nobis et huic Sanctae Sedi praestiterunt, ac san-

ctae obedientiae virtute , et sub poenis iure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Synodo probare debebunt , sacro huic Concilio omnino adesse et interesse teneantur.


In eam autem spem erigimur fore, ut Deus, in cuius manu sunt hominum corda, Nostris votis propitius annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes et Moderatores , praesertim Catholici , quotidie magis noscentes maxima bona in humanam societatem ex Catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse Imperiorum Regnorumque fundamentum, non solum minime impediant, quominus Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, aliquae omnes supra commemorati ad hoc Concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant ope- que ferant, et studiosissime, uti decet Catholicos Principes, iis cooperentur, quae in maiorem Dei gloriam, eiusdemque Concilii bonum cedere queant.

Ut vero Nostrae hae Litterae et quae in eis continentur ad notitiam omnium, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, eum praesertim etiam non ad omnes eos , quibus nominatim illae essent intimandae , tutus forsitan pateat accessus , volumus et mandamus, ut in Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana, et Liberiana, cum ibi multitudine populi ad audiendam rem divinam congregari

solita est , palam clara voce per Curiae Nostrae cursores , aut aliquos publicos notarios legantur , lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae portis , et Campi Florae solito loco , et in aliis consuetis locis affigantur , ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu expositae pendeant , cumque inde amovebuntur , earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per huiusmodi lectionem , publicationem affixionemque , omnes et quoscumque , quos praedictae Nostrae Litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die Literarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse et adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent, transumptis quidem eorum, quae manu publici notarii scripta, aut subscripta , et sigillo personae alicuius Ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint , ut fides certa et indubitata habeatur , mandamus ac decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, annuntiationis, convocationis , statuti , decreti , mandati , praecepti , et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXVIII Tertio Kalendas Iulias. Pontificatus Nostri Anno XXIII.



- ✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veltinus,  
card. Decanus Mattei , Pro-Datarius.
- ✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Ru-  
finae card. Patrizi.
- ✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat,  
S. R. E. Vice-Cancellarius.
- ✠ Ego Nicolaus episcopus Tusculanus card. Clar-  
elli Paracciani, Brevium a Secretis.
- ✠ Ego Camillus episcopus Albanus card. Di Pietro.
- ✠ Ego Carolus Augustus episcopus Sabinensis card.  
De Reisach.
- ✠ Ego Philippus tituli sancti Laurentii in Lucina  
proto-presbyter card. De Angelis, archiepi-  
scopus Firmanus et S. R. E. Camerarius.
- ✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte  
Coelio presbyter card. Asquini.

- ✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannaæ presbyter card. Barnabò.
- ✠ Ego Ioseph tituli sanctæ Mariae in Aracaeli presbyter card. Milesi.
- ✠ Ego Petrus tituli sancti Marci presbyter card. De Silvestri.
- ✠ Ego Carolus tituli sanctæ Mariae de populo presbyter card. Sacconi.
- ✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andree et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- ✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, Poenitentiarius maior.
- ✠ Ego Antoninus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- ✠ Ego Ioseph Andreas tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter card. Bizzarri.
- ✠ Ego Fr. Philippus Maria tituli sancti Xysti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiensis.
- ✠ Ego Gustavus tituli sanctæ Mariae in Transpontina presbyter card. De Hohenlohe.
- ✠ Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Pancerna presbyter card. Bilio.
- ✠ Ego Lucianus tituli sanctæ Pudentianæ presbyter card. Bonaparte.
- ✠ Ego Ioseph tituli Ss. Marcellini et Petri presbyter card. Berardi.
- ✠ Ego Raphael tituli SS. Crucis in Hierusalem presbyter card. Monaco.
- ✠ Ego Iacobus sanctæ Mariae in Via Lata Protodiaconus card. Antonelli.

- ¶ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala diaconus  
card. Caterini.
- ¶ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diacono-  
nus Mertel.
- ¶ Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica dia-  
conus card. Consolini.
- ¶ Ego Eduardus Ss. Viti et Modesti diaconus card.  
Borromeo.
- ¶ Ego Hannibal sanctae Mariae in Aquiro diaco-  
nus card. Capalti.

M. CARD. MATTEI *Pro-Datarius.*

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

**Visa De Curia**

D. Brutti.

Loco ¶ Plumbi

I. Cugnonius.

Reg. in Secret. Brevium.

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

NOMINATIM, AC SOLEMNITER EXCOMMUNICATVR PRESBYTER  
 CYRINVS RINALDI

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,  
 ALIISQVE LEGITIMIS LOCORVM ORDINARIIS, AC DILECTIS FILIIS  
 ECCLESIASTICIS ET RELIGIOSIS VIRIS, CVNCTISQVE  
 CHRISTIFIDELIBVS SICILIAE

PIVS PP. IX

VENERABILES FRATRES

AC DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uisque vestrum optime noscit, Nos pro supremi  
 Nostri Apostolici muneris officio de universae Ec-  
 clesiae bono, animarumque salute vehementer sol-  
 licitos ad maxima et gravissima mala, ac damna  
 penitus amovenda, quae in istas Siciliae Ecclesias,  
 et fideles ex praetensa Apostolica Sicula Legatione,  
 et ita dicta Monarchia iamdiu redundabant, usque  
 ab anno millesimo octingentesimo sexagesimoquarto  
 Apostolicas Nostras sub Plumbo V. Kalendas Fe-  
 bruarii edidisse Litteras incipientes « *Suprema* » ac

die decimo mensis Octobris anno millesimo octingentisimo sexagesimosceptimo iuxta Nostra mandata ex more Romae vulgatas, quibus commemoratam Apostolicam Legationem, et sic appellatam Monarchiam, nec non Iudicem Delegatum, eiusque tribunal, omnesque ministros, et officiales de medio sustulimus, planeque extinximus, et abolevimus. In quibus nostris Litteris inter alia praescripsimus, ut post duos menses a die publicationis, et affixionis earumdem Litterarum computandoe deberent Litterae ipsae plenum suum effectum habere, et omnes, ac singulos, quos illae concernerent, perinde afficere, obligare, etaretare, ac si unicuique eorum nominatim, ac personaliter intimatae fuissent. Neque ignoratis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, qua cura et studio spiritualibus istorum fidelium indigentiis, utilitatibusque consulere studuimus. Namque alias Nostras Litteras Annulo Piscatoris obsignatas incipientes «*Multis gravissimis*» et datas eodem die et anno, quibus Apostolicae sub Plumbo Litterae editae fuerunt, emisimus. Quibus quidem Litteris oportunas, ac necessarias facultates Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis in Sicilia Ordinariis tribuimus, ac simul statuimus modum, quo causae ad Forum ecclesiasticum pertinentes possent, ac deberent iudicari, et agi. Ac neminem vestrum latet, die 15 mensis Octobris superiori anno a Nostra Congregatione negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita missum fuisse supremo, et expresso Nostro iussu exemplar earumdem Litterarum sub Plumbo ad Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui sic nuncupatae

Monarchiae iudicis munere fungebatur , et eidem severissimum Monitum datum fuisse. Quo monito eidem Sacerdoti Rinaldi Nostro nomine , et Apostolica auctoritate fuit denunciata maioris excommunicationis poena latae sententiae ipso facto incurrenda, absque ulla alia declaratione, cuius absolutio Nobis est reservata, excepto tantum mortis articulo, quoties ipse seu directe, seu indirecte, et quovis alio modo ausus fuisset vel earumdem Litterarum exsecutionem impedire, vel nomen officii, quod gerebat retinere, vel eiusdem officii exercitio se immiscere sub quocumque titulo, praetextu, colore , et quocumque actu etiam extrajudiciali , et oeconomico per interpositam quoque personam peracto. Insuper eidem Presbytero Rinaldi declarabatur, huiusmodi excommunicationis comminatione minime derogari aliis ecclesiasticis poenis, et censuris, quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones in illos infligunt, qui exsecutionem Actorum huius Sanctae Sedis impediunt, vel ecclesiasticam iurisdictionem usurpant, vel liberum Episcoporum auctoritatis exercitium perturbant. Ac idem Presbyter Nostro etiam nomine etiam atque etiam monebatur, ut quoad actus per abusionem factos, quibus praeterito tempore locum dederat, sacerdotalis praecepsim conditionis suae memor serio conscientiae suae consulere, ac severissima Dei iudicia formidare vellet.

Iam vero etiamsi idem Presbyter Rinaldi monitum, et predictas Nostras sub Plumbo Litteras acceperit, quae per publicas Romanas, Florentinas, et Siculas ac fere omnes ephemerides vulgatae fue-

runt, tamen officii sui omnino oblitus eo temeritatis, et audaciae devenit, ut supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis auctoritatem omnino contemnens , ac maioris Excommunicationis ponam plane despiciens haud extimuerit pergere sacrilego prorsus et abominabili ausu sese immiscere praedicto sic appellatae Monarchiae Iudicis officio a Nobis abrogato, ac plane sublato, et actus exercere omnino nullos et irritos cum summo fidelium scandalio, animarum detimento, ac gravissimis Episcoporum iniuriis et vexationibus. Taedet sane hic recensere singulos usurpatae iurisdictionis actus , quos ipse Presbyter Rinaldi post acceptas Nostras Litteras et Monitam audacissime admisit, nihil dubitans minitari quoque Vobis, Venerabiles Fratres, pecuniarias mulctas. In tanta igitur, ac tam perniciosa huius Presbyteri contumacia, ad supremam Nostram, et huius Sanctae Sedis potestatem tuendam, ad Episcoporum auctoritatem, iurisdictionemque vindicandam, ad tantum scandalum amovendum, et ad Siciliae fidelium salutem curandam dolenter quidem, necessario tamen illud consilium a Nobis omnino suscipiendum esse duximus, quod ex Sacrorum Canonum praescripto, ex Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo praesto est, ut nimirum exeramus gladium, quo Nos Deus ad religionis , et iustitiae defensionem munivit. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli , ac Nostra eundem Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui ex vi commemorati Moniti in maiores excommunicationem iam incidit, hisce Nostris Litteris solemniter , ac no-

minatim excommunicamus , anathematizamus , et ab Ecclesiae corpore segregatum , ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus decernimus ac denunciamus.

Faxit dives in misericordia Deus, ut infelix hic Sacerdos hac acri sane, sed necessaria medicina a Nobis in ipsum adhibita sanetur, utque ipse gravissima sua recognoscens errata resipiscat, ac sincera et salutari poenitentia animae suae bono prospiciat, ne ad ulteriora procedere cogamur.

Denique hac quoque occasione Vobis iterum animos addimus , Venerabiles Fratres , ut divino auxilio freti pergatis maiore usque studio in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate impavide tueri Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae causam, et gregis curae Vestrae commissi salutem curare.

Vos autem , Dilecti Filii , etiam atque etiam hortamur , ut nefarias inimicorum hominum insidias sedulo devitetis, et alacriore usque pede incedatis per semitas Domini et ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ac praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, peramanter impertiimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII Iulii Anno MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

# LITTERAE APOSTOLICAE

AD OMNES EPISCOPOS ECCLESIARVM RITVS ORIENTALIS  
COMMUNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE  
NON HABENTES

PIVS PP. IX.

**A**rcano Divinae Providentiae consilio , licet sine ullis meritis nostris, in hac sublimi Cathedra heredes Beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui *iuxta praerogativam sibi a Deo concessam firmam et solidissima petram est , super quam Salvator Ecclesiam aedificavit* (1), impositi Nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum Orbis regione degentes, qui christiano nomine censemur, curas Nostras extendere, omnesque ad paternae caritatis anplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae Nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris Nostri sanguine redemptus et sacris baptismi aquis in Dominicum gregem adlectus, omnem sibi vigilantiam Nostram iure depositum. Itaque cum in omnium procurandam salutem, qui Christum Iesum agnoscent et adorant, studia omnia cogitationesque

(1) S. Greg. Nyssen. Laudatio altera S. Steph. Protomart. ap. Galland. VI. 600.

Nostras indesinenter conferre debeamus , oculos Nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias. quae olim unitatis vinculo cum hac Apostolica Sede conglutinatae tanta sanctitatis caelestisque doctrinae laude florebant , uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes ac machinationes, qui primum schisma excitavit in caelo, a communione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae toto Orbe diffusa est, seiunctae ac divisae cum summo Nostro moerore existunt.

Hac sane de causa iam ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio Vobis pacis caritatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus (1). Etsi vero haec Nostra verba optatissimum minime obtinuerint exitum, tamen nunquam Nos deseruit spes fore, ut humiles aequae ac ferventes Nostras preces propitius exaudire dignetur elementissimus ac benignissimus salutis pacisque Auctor, qui operatus est in medio terrae salutem, quiq; oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens eam in ortu suo Angelorum ministerio bonaे voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo (2).

Iam vero cum nuper de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Oecumenicam Synodus futuro anno Romae celebran-

(1) Epist. ad Orientales In supra die 6 Ianuarii anno 1848.

(2) Epist. B. Greg. X. ad Michaelem Palaeologum Graec. Imper. die 24. Octobris an. 1272.

dam, ac die octavo mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, vocem Nostram ad Vos rursus dirigimus, et maiore, qua possumus, animi Nostri contentionе Vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eamdem generalem Synodus convenire velitis, quemadmodum maiores vestri convenerunt ad Concilium Lugdunense II a recol. mem. B. Gregorio X Praedecessore Nostro habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV item Decessore Nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata (1), post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingrataisque caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illucescat (2).

Atque hic sit iucundissimus benedictionis fructus, quo Christus Iesus nostrum omnium Dominus et Redemptor immaculatam ac dilectissimam Sponsam suam catholicam Ecclesiam consoletur, eiusque temperet et abstergat lacrimas in hac asperitate temporum, ut, omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed ut idem omnes dicamus et sentiamus Apostoli voce praecepit; immortalesque mi-

(1) Epist. LXX, al. CCXX. S. Basilii Magni ad S. Damasum Papam.

(2) Defin. S. Oecum. Synodi Florent. in Bulla Eugenii IV. *Laetentur Caeli.*

sericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis , ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum Orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de caelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro coniunctionem , quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina, tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum Sanctum caritate Illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per Sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit , et cuius oratio ad Patrem porrecta est : Rogo ut omnes unum sint, sicut et Nos unum sumus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris Anno MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri XXIII.

## LITTERAE APOSTOLICAE

AD OMNES PROTESTANTES, ALIOSQUE ACATHOLICOS

PIVS PP. IX.

**I**am vos omnes noveritis , Nos licet immerentes ad hanc Petri Cathedram evectos , et iccirco supremo universae catholicae Ecclesiae regimini, et curae ab ipso Christo Domino Nobis divinitus commissae praepositos opportunum existimasse , omnes Venerabiles Fratres totius orbis Episcopos apud Nos vocare, et in Oecumenicum Concilium futuro anno concelebrandum cogere, ut cum eisdem Venerabilibus Fratribus in sollicitudinis Nostrae partem vocatis ea omnia consilia suscipere possimus, quae magis opportuna, ac necessaria sint, tum ad dissipandas tot pestiferorum errorum tenebras , qui cum summo animarum damno ubique in dies dominantur et debacchantur, tum ad quotidie magis constituendum, et amplificandum in christianis populis vigilantiae Nostrae concreditis verae fidei , iustitiae , veraeque Dei pacis regnum. Ac vehementer confisi arctissimo et amantissimo coniunctionis foedere , quo Nobis , et Apostolicae huic Sedi iidem Venerabiles Fratres mirifice obstricti sunt, qui nunquam intermisserunt omni supremi Nostri Pontificatus tempore splendidissima erga Nos , et eandem Sedem fidei, amoris, et observantiae te-

stimonia praebere, ea profecto spe nitimur fore, ut veluti praeteritis saeculis alia generalia Concilia, ita etiam praesenti saeculo Concilium hoc Oecumenicum a Nobis indictum uberes, laetissimosque, divina adspirante gratia, fructus emittat pro maiore Dei gloria, ac sempiterna hominum salute.

Itaque in hanc spem erecti, ac Domini Nostri Iesu Christi, qui pro universi humani generis salute tradidit animam suam, caritate excitati, et compulsi, haud possumus, quin futuri Concilii occasione eos omnes Apostolicis, ac paternis Nostris verbis alloquamur, qui etiamsi eumdem Christum Iesum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur, tamen veram Christi fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur. Atque id agimus, ut omni studio et caritate eos vel maxime moneamus, exhortemur, et obsecremus, ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino praescriptam sectentur, quae ad aeternam perducit salutem. Et quidem nemo inficiari, ac dubitare potest, ipsum Christum Iesum, ut humanis omnibus generationibus redemptionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam, idest unam, sanctam, catholicam, apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur, ut per baptismum omnes in mysticum suum corpus cooptarentur homines, et in ipsis semper servaretur, ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo

potest unquam aeternam mereri et assequi vitam, utque eadem Ecclesia, quae mysticum suum constituit corpus in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem saeculi permaneret, vigeret, et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret. Nunc vero qui accurate consideret, ac meditetur conditionem, in qua versantur variae, et inter se discrepantes religiosae societates seiunctae a catholica Ecclesia, quae a Christo Domino, eiusque Apostolis sine intermissione per legitimos sacros suos Pastores semper exercuit, et in praesentia etiam exercet divinam potestatem sibi ab ipso Domino traditam, vel facile sibi persuadere debet, neque aliquam peculiarem, neque omnes simul coniunctas ex eisdem societatibus ullo modo constituere, et esse illam unam et catholicam Ecclesiam, quam Christus Dominus aedificavit, constituit, et esse voluit, neque membrum, aut partem eiusdem Ecclesiae ullo modo dici posse, quandoquidem sunt a catholica unitate visibiliter divisae. Cum enim eiusmodi societates careant viva illa, et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei, morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit, ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent, tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec mobilitas, ac instabilitas apud easdem societates nunquam cessat. Quisque vel facile intelligit, et clare aperteque noscit, id vel maxime adversari Ecclesiae a Christo Domino institutae, in qua veritas semper stabilis, nullique unquam immutationi obnoxia persistere debet, ve-

luti depositum eidem Ecclesiae traditum integerime custodiendum , pro cuius custodia Spiritus Sancti praesentia , auxiliumque ipsi Ecclesiae fuit perpetuo promissum. Nemo autem ignorat, ex hisce doctrinarum , et opinionum dissidiis socialia quoque oriri schismata, atque ex his originem habere innumerabiles communiones , et sectas quae cum summo christianaे , civilisque reipublicae damno magis in dies propagantur.

Enimvero quicumque religionem veluti humanae societatis fundamentum cognoscit, non poterit non agnoscere , et fateri quantam in civilem societatem vim eiusmodi principiorum, ac religiosarum societatum inter se pugnantium divisio , ac discrepantia exercuerit, et quam vehementer negatio auctoritatis a Deo constitutae ad humani intellectus persuasiones regendas, atque ad hominum tum in privata, tum in sociali vita actiones dirigendas excitaverit, promoverit, et aluerit hos infelicissimos rerum , ac temporum motus, et perturbationes, quibus omnes fere populi miserandum in modum agitantur, et affliguntur.

Quamobrem ii omnes, qui Ecclesiae catholicæ unitatem et veritatem non tenent (1) , occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia Catholica , cui eorum maiores adscripti erant , novum intimae unitatis , et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibit argumentum , ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant , in quo de sua propria salute securi esse

(1) S. August. Epist. 61, al. 223.

non possunt. Nec desinant ferventissimas miserationum Domino offerre preces, ut divisionis murum disiiciat, errorum caliginem depellat, eosque ad sinum sanctae Matris Ecclesiae reducat, in qua eorum maiores salutaria vitae pascua habuere, et in qua solum integra Christi Iesu doctrina servatur traditur, et caelestis gratiae dispensantur mysteria.

Nos quidem cum ex supremi Apostolici Nostri ministerii officio Nobis ab ipso Christo Domino commisso omnes boni pastoris partes studiosissime explere, et omnes universi terrarum orbis homines paterna caritate prosequi, et amplecti debeamus, tum has Nostras ad omnes christianos a Nobis seiunctos Litteras damus, quibus eos etiam, atque etiam hortamur et obsecramus, ut ad unicum Christi ovile redire festinent; quandoquidem eorum in Christo Iesu salutem ex animo summpere optamus, ac timemus, ne eidem Nostro Iudici ratio a Nobis aliquando sit reddenda, nisi, quantum in Nobis est, ipsis ostendamus, et muniamus viam ad eamdem aeternam assequendam salutem. In omni certe oratione et obsecratione cum gratiarum actione nunquam desistimus dies noctesque pro ipsis caelestium lumen, et gratiarum abundantiam ab aeterno animarum Pastore humiliter, enixeque exposcere. Et quoniam vicariam Eius hic in terris licet immerito gerimus operam, iccirco errantium filiorum ad catholicae Ecclesiae reversionem expansis manibus ardentissime expectamus, ut eos in caelestis Patris domum amantissime excipere, et inhexaustis eius thesauris ditare possimus. Etenim ex hoc optatissimo ad ve-

ritatis, et communionis cum catholica Ecclesia redditu non solum singulorum, sed totius etiam christiane societatis salus maxime pendet, et universus mundus vera pace perfungi non potest, nisi fiat unum ovile, et unus pastor.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Septembris Anno MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

## PIVS PP. IX.

VENERABILI FRATRI PETRO JOSEPHO EPISCOPO LIMBURGENSI  
LIMBURGO AD LAHNAM

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uanti pastorali Tuae sollicitudini intersit istius Limburgensis Dioecesis bono magis in dies prospicere luculenter ostendit observantissima Tua Epistola die 4 proximi mensis Septembris ad Nos data, quam perlibenter accepimus. Siquidem rec: me: Pius VII. Praedecessor Noster suis Apostolicis Litteris die XVII. Kalendas Septembris anno 1821. sub Plumbo datis, quarum initium - Provida solersque - ecclesiasticam superioris Rheni provinciam ordinare et componere vehementer cupiens constituit, novi cathedralis Templi Limburgensis in Nassoviae Ducatu iam siti, nunc vero ad Borussicum Regnum pertinentis Canonicoruni Collegium constare debere ex Dignitate Decanatus, et ex aliis quinque Canonicis residentiae obligationi subiectis, et attributo annuo redditu bismille, et quatuorcentum florenorum Decano, et cuique Canonorum adsignato annuo item redditu mille et octocentum florenorum cum habitatione. Ac Decanus, et unus ex Canonicis dotem sibi attributam

obtinuerunt, et ea in praesentia fruuntur. Ut autem aliorum quatuor Canonicorum doti, quae deerat, consuleretur, permissum fuit, ut ipsi Parochorum munus obirent, ut unus scilicet Parochus esset Limburgensis parochiae, alter Dietkirchensis, tertius Altavillensis, et quartus Francofurtensis, ea tamen lege, ut Limburgi residere tenerentur, et animarum curae provideretur per idoneos Vicarios ab Ordinario, servatis servandis, ad normam Canonicarum Sanctionum approbандos, ac instituendos. Cum autem redditus tum Altavillensis, tum Francofurtensis paroeciae haud possent sufficienter alere, et sustentare Canonicos, eorumque Vicarios, siccirco iidem Canonici per se ipsi Parochorum munere sunt perfuncti. Ex quo evenit, ut istud Cathedralis Tui Templi Canonicorum Collegium tantum habeat Canonicos residentes. Quocirca ad eiusmodi irregularitatem penitus amovendam cum Serenissimi Borussiae Regis Gubernio convenisti, Venerabilis Frater, ut in posterum omnes Canonici Limburgi resideant, utque tres Canonici, qui Parochi sunt paroeciarum Dietkirchensis, Altavillensis, et Francofurtensis a Parochorum munere eissent, et hae tres parochiae a Canonicatibus separatae ex Sacrorum Canonum praescripto propriis Parochis conferantur, utque Limburgensis dumtaxat Parochia sit cum Canonicatu coniuncta, quemadmodum nunc est. Significas autem, Borussicum Gubernium se obligasse ad irrevocabiliter, ac perpetuum in modum e proprio aerario subministrandam annuam Cathedrali Ecclesiae Limburgensi summam sex mille et centum florenorum, attributa

cuique aliorum trium Canonicorum summa mille et octocentum florenorum , veluti statutum fuerat in praedictis Apostolicis Pii VII Litteris , et reliquis septem centum florenis expensis pro Parochis Vicariis Limburgi, et eleemosyna Missarum, quas ipsi celebrare debent. Et quoniam ex earundem Litterarum Apostolicarum vi habitationem quoque Canonici habere debent, iccireo cum alii in praesens desint modi, consiliis cum Borussico Gubernio initis proposuisti , ut Dietkirchensis paroecia usque ad futurum annum millesimum octingentesimum septuagesimum secundum administrationis modo habeatur, soluto congruo emolumento Oeconomo Parocho , utque id quod superest impendantur in praedicta domo acquirenda. Cum vero prae oculis habeas , Venerabilis Frater , Francofurtensem paroeciam S. Barptolemaeo dicatam celebrem esse in omni Germania, propterea quod in ea sacra aede per multa saecula Romani Imperatores electi, et corona imperiali insigniti fuerunt, tum opportunum vel maxime existimas , ut eiusdem Paroeciae pro tempore Parochus titulo et insignibus decoretur Canonici honorarii Cathedralis Templi Limburgensis cum iure ferendi suffragium ad Limburgensem Episcopum eligendum, cum episcopalibus ista Sedes vacaverit. Hisce omnibus expositis Nos summopere precaris , ut omnia , quae a Te cum Serenissimo Borussiae Rege conventa fuere, suprema Nostra auctoritate approbare et sancire velimus. At Nos singulari Tuae pietati, virtuti, prudentiae, ac episcopali zelo vehementer confisi, per has Litteras Tibi omnes oportunas , et necessarias fa-

cultates concedimus, et impertimur, ut sedulo servatis, quae servari opus est, ea omnia, quae a Te in praedicta Tua epistola die IV proximi mensis Septembris scripta Nobis nunciata sunt, quaeque cum Serenissimo Borussiae Rege conventa fuere eo prorsus modo, quo a Te exposita sunt, suprema auctoritate Nostra Apostolica libere ac licite perpetuum in modum approbare, statuere, et sancire possis, et valeas, integra tamen et inviolata servata dote tum Decano Limburgensi, tum Canonico eiusdem Cathedralis Templi adsignata, de qua verba facta sunt. Insuper Tibi facultatem facimus, ut eadem Nostra Apostolica auctoritate Parochum pro tempore Francofurtensis parochiae S. Barptolemaei perpetuo declares et constituas Canonicum honorarium cum propriis insignibus istius Cathedralis Limburgensis Ecclesiae, et cum iure etiam ferendi suffragium pro novi Episcopi electione, cum ista Episcopalnis Ecclesia suo fuerit orbata pastore. Optamus autem vel maxime, Venerabilis Frater, ut Nobis mittas exemplar omnium, et singulorum actorum, quae de commemoratis rebus omnibus a Te rite fuerint confecta et absoluta. Atque haec concedimus et indulgemus, non obstantibus commemoratis Pii VII Praedecessoris Nostri Litteris, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Demum Tibi vero persuadeas velimus, praecipuam esse, qua Te prosequimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipe Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde

profectam Tibi ipsi , Venerabilis Frater , et gregi  
Tuae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VIII  
Octobris Anno MDCCCLXVIII. Pontificatus Nostri  
Anno XXIII.

# **APPENDIX**

**CONTINENS NONNVLLAS LITTERAS APOSTOLICAS  
DE ERECTIONE NOVARVM ECCLESIARVM  
IN AFRICA ET AMERICA.**

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ERIGITVR ECCLESIA METROPOLITANA SS. TRINITATIS  
SEV DE BVENOS AYRES IN DITIONE ARGENTINENSI

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**I**mmutabili sua voluntate aeternaque providentia rerum omnium auctor et conditor Dominus noster Iesus Christus Ecclesiam suam in hoc terrarum orbe constituit, extra quam aeterna ab hominibus salus haberi nullo modo potest. Ut schismatis tolleretur occasio visibile ei dedit caput, ut ceu bonus et diligens paterfamilias commissas gentes et populos prudentia regeret, iustitia gubernaret, sapientibus legibus coerceret, nihilque intentatum ad sua munia bene obeunda ubique terrarum relinqueret. Ad tantam dignitatem Nos, licet immetiti, Deo optimo maximo opitulante multis ab hinc annis evecti, ab ipso Nostri pontificatus exordio, omni nisu, omni conatu ad ea incubuimus quae Nostri munera sunt, nullisque pepercimus laboribus, et quamvis in pessima tempora inciderimus, commissum tamen Nobis divinitus gregem a lupis

tueri, bonisque pascuis iuvare non destitimus. Quam quidem specialem sollicitudinem in illis quoque Americae regionibus gerimus, in quibus catholica de die in diem ita augetur religio , ut ubi olim unus aut alter satis erat episcopus, nunc plures dioeceses et ecclesiasticae provinciae vix esse queant. Pronas itaque aures accommodavimus pre- cibus dilecti filii Bartholomei Mitre reipublicae Argentinensis Praesidis , quibus tum suo , tum illorum civium nomine postulabat , ut nova illic constitueretur provincia ecclesiastica Metropolim in civitate Sanctissimae Trinitatis , seu de Buenos Ayres habitura, eo quod usque ab anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio , illorum locorum vicissitudinibus vix completis , in votis omnium esse cooperat , ut non solum civitas de Buenos Ayres, sed quinque suffraganeae Ecclesiae, quae metropolitico iure, uti suffraganeae, archie- piscopo de Plata parebant, a Nobis disgregarentur, atque separarentur.

Cum itaque perspectum compertumque Nobis sit, civitatem Sanctissimae Trinitatis, seu de Buenos Ayres nuncupatam, quae Argentinensis reipublicae caput esse perhibetur, secus flumen Argentinum commodius aedificatam in suo trium circiter mil- liarium ambitu, plusquam centum incolarum millia continere, eaque omnia recensere, quae ad illustrem urbem efformandam requiruntur, cumque insuper in illa e vetusto quoque tempore sit cathedralis ecclesia cum suo Canonicorum Capitulo satis ampla et de- cora necessariis et opportunis supellectilibus abunde ornata , et insuper numerentur in ea plures pa-

roeciae, bina virorum et mulierum monasteria, nec non alia publicae utilitatis instituta , inter quae nonnulla pro infirmis et egenis Xenodochia, ita ut apprime censeatur nedium idonea, sed etiam digna ut ad metropoliticum honorem attollatur. Nos itaque cunctis quae animadvertenda et inspicienda erant matura deliberatione perpensis, ac praesertim illarum regionum longinquitate et vastitate , maiori Animarum utilitati et commodo providere cipientes, superius memorati reipublicae Argentinensis Praesidis ac illius civium vota, benigna animi Nostrri propensione prosequi volentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore centes, ad maiorem Dei, Immaculatae Virginis Mariae, Beatorumque Apostolorum Petri et Pauli gloriam, ad Reipublicae Argentinensis bonum, de plenitudine Apostolicae potestatis Nostrae, consensui omnium, quatenus opus sit, supplentes, praeque oculis habentes reservacionem quam pro novis dioecesisbus circumscribendis, si in Domino expediret, Nobis Nostrisque successoribus in Petri Cathedra reservavimus , quotiescumque provisio nova facta est in Americae episcopatibus conferendis , Episcopales Ecclesias de Buenos Ayres - Saltensem - Cordubensem - Sancti Ioannis de Cuyo - Paranam - et Paraguaiensem , una cum suis dioecesisbus earumque omnibus incolis

atque insitis accessoriis de natura, de iure, deque more concomitantibus perpetuo ab archiepiscopatu de Plata separamus, dismembramus atque disiungimus, illosque in posterum a metropolitico illius Archiepiscopalnis Ecclesiae iure et subiectione, atque adeo ab alia quavis superioritate et praerogativa iurisdictionali Apostolica auctoritate perpetuo eximimus planeque dissolvimus.

Cathedralem vero Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres mox maiorem et insigniorem gradum habituram una cum suo capitulo suppressimus, retenta tamen parochialitate, eademque invocatione, eam ad metropolitanae fastigium dignitatemque attollimus cum omnibus privilegiis, gratiis, praerogativis, favoribusque consuetis, ideoque inibi archiepiscopalnis erigatur sedes, cathedra, et dignitas archiepiscopalnis pro uno eius antistite Metropolitano de Buenos Ayres nuncupando, qui usum Crucis et Pallii habeat in sacro Consistorio rite a Nobis Nostrisque successoribus postulandum, quique archiepiscopus ceteris omnibus et singulis praerogativis, honoribus, iuribus, privilegiis, indultis et quibuscumque aliis fruatur et gaudeat, quibus ceterae metropolitanae Ecclesiae in iis Americae regionibus utuntur fruuntur et gaudent, dummodo non sint ex peculiari aliquo privilegio et indulto, aut quomodocumque alio modo adquisita; quod quidem archiepiscopalnis civitatis privilegium perillustri Buenos Ayres oppido conferimus, illudque omnia et singula privilegia, iura, indulta, praeeminentias habere volumus, uti ceterae archie-

piscopales civitates, quae iure communi in America habere comperiuntur.

Huic novae metropolitanae Ecclesiae sanctissimae Trinitatis de Buenos Ayres, quinque illas adsignamus suffraganeas Ecclesias, quae huc usque metropolitico iure paruerunt archiepiscopo de Plata, nempe Ecclesias Saltensem - Cordubensem - Sancti Ioannis de Cuyo - Paranam - Paraguayensem cum omnibus iuxta sacros canones adiectis ; atque in Domino confidimus novum hunc archiepiscopum de Buenos Ayres ea omnia esse in charitate Christi gesturum, quae iis in regionibus a ceteris metropolitanis ex sacrorum canonum decreto fieri solent, atque magis in Domino expedire videntur, singulas et omnes illi facultates ratione praesentium si opus sit tribuentes, quae opus illi sunt in sua metropolitana provincia regenda , ceu a sacris canonibus, et praesertim a Tridentina Synodo iubetur.

Capitulum huius novae metropolitanae Ecclesiae de Buenos Ayres, uti antea, constabit ex quinque dignitatibus , quatuor canonicis et mansionariis , qui postremi Subdiaconi et Diaconi munus de more gerant, qui que omnes attente ac devote in choro horas ab Ecclesia statutas canant, illasque in terris Dei laudes persolvant, quae diu noctuque in caelis ab angelis audiuntur; Capitulum vero ea omnia habeat indumenta et insignia , quotiescumque capitulo in America habere comperiuntur, dummodo non sint peculiari aliquo privilegio et indulto, aut quovis alio modo acquisita. Cum vero metropolitanum hoc capitulum, canonicis poenitentiario atque theologali

hactenus destituatur, praecipimus atque mandamus, ut illico et immediate ex canonicalibus praebendis, quae actu existunt, duo seligantur, quae theologalis et poenitentialis nomine designentur, habeant respective munia a sacrosancto concilio Tridentino statuta, et facto ingenii periculo iuxta sacrorum canonum normam in perpetuum consequi debeant quotiescumque vacare contigerit.

Volumus autem omnes dignitates, canonicos et mansionarios huius capituli metropolitani, qui actu existunt, retinere possessionem eorumdem beneficiorum absque nova Apostolicarum Litterarum expeditione; quoties autem in posterum sive dignitatum, sive canonicorum, sive mansionariatum, aut paroeciarum in universa archiepiscopali dioecesi vacatio contigerit, donec aliter ab hac sancta Sede non decernatur, ab ipsomet archiepiscopo conferuntur, servatis iis omnibus, quae a sacris canonibus et praesertim a sancta Tridentina Synodo constituantur: cui quidem metropolitano ius erit attribuendi bonis laboriosisque ecclesiasticis omnia et universa suae archidioecesis ecclesiastica beneficia, dummodo peculiari patronatui non sint obnoxia.

Animarum cura quae, uti antea, metropolitanae ecclesiae seu capitulo adnexa in perpetuum erit, mandamus et volumus quod quotiescumque et quamcumque de causa vacaverit, conferatur, facto ingenii periculo seu concursu, uti a sacris canonibus constitutum est, utque mandavimus et mandamus in novis vacationibus tum canonici theologi, tum canonici poenitentiarii metropolitanae huius novae Ecclesiae.

Ut divina officia rite diligenterque ab omnibus capitularibus persolvantur omnibus et universis redditibus, si forsan aderit massa quae tertiam partem non excedat, efformetur, iis omnibus retribuenda qui maiori diligentia chorale servitium praestellerint: habita autem ratione maioris dignitatis huiuscemodi novi capituli metropolitani facultatem illi impertimur vel reformandi, vel novas sibi condendi constitutiones, et capitularia statuta pro recto regimine, rerumque agendarum norma, dummodo sacris canonibus non sint obnoxia, neque ullam vim auctoritatemque habere possint, nisi prius ab archiepiscopo de more probentur atque sanciantur.

Pro fabrica autem atque sacrario ipsius metropolitanae Ecclesiae constituimus et designamus, firmiter perpetuoque adsignamus omnes et universos redditus, fructus atque bona quae antehac habebat; quae omnia, si non satis esse comperientur, habita splendidioris modernae conditionis ratione, non dubitamus quin usque ad congruam necessitatem augeantur, idque enixe et quantum in Nobis est omnibus in Domino commendamus. Gubernio autem Argentinensi curae erit satis amplam decenterque supellectilibus instructam domum comparandi pro metropolitani Antistitis habitatione; interea tamen temporis, donec aedes istae desiderantur, ab eodem Gubernio annuo pretio conductantur.

In huiusmodi novae archidioecesis Antistitem absque ulla novarum litterarum expeditione, quae aliter necessariae forent, non tamen quoad usum Pallii, quod ab hac Sancta Sede de more postulare

et impetrare teneatur , illum singulari favore et gratia prosequi volentes, designamus, nominamus et constituimus Venerabilem Fratrem Marianum Escalado, huc usque episcopum Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres, cui quidem archiepiscopo mandamus , ut , quo citius fieri potest , constituat ipsius Gubernii impendiis, ceu sponsum est, Seminarium omnibus rebus, saltem modo necessariis instructum pro adolescentibus in sortem Domini vocatis alendis, et iis omnibus praeditum, quae necessaria omnino sunt ad bonos et opportunos in vinea domini operarios comparandos , qui que uberem in iis regionibus fructum referre queant. Si alio non poterit modo in praesentiarum aedes istae etiam pro seminario pretio annuatim conductantur , usque dum uti commendamus , a fundamentis ab ipso Gubernio erigantur. Institutio autem ratioque studiorum , praesertim sacrae theologiae quae institutio semper iuxta sacros canones sanioresque doctrinam facienda erit, omnimode et absolute ab ipso archiepiscopo pendebit, qui suo lubitu quotiescumque et quomodo ipse iudicaverit , ecclesiasticos viros statuet atque eliget, sive ut doceant, sive ut alia omnia publica vel privata munera inibi peragant; qua in re archiepiscopus nulli parcat labori, nullique industriae, nullamque rem sciat adeo a sacrosancto Concilio Tridentino episcopis commendatam , quam seminariorum directionem, quae solummodo ab ipsis sunt regenda atque omni alia prorsus auctoritate semota in Domino iuxta sacros canones receptamque ecclesiasticam doctrinam gubernanda.

Cum vero speciale episcoporum munus sit potissimum invigilare atque providere quaecumque intersint pro recta morum studiorumque disciplina fideique orthodoxae tuitione, ideo ipsem pro tempore episcopus nullatenus queat in gravissimo huicmodi negotio praepediri, neque in speciali hoc muneric sui officio molestari non solum in iis omnibus quae seminarium archidioecesanum respiciunt, sed etiam quoad alias universitates, academias aliquae suae archidioecesis gymnasia, maxime enim Nobis cordi est ut christiana religio sancta integraque servetur, et recta sit iuvenum institutio, ex quibus solummodo regnorum omnium tranquillitatem felicitatemque pendere omnibus comperatum est.

Quam quidem rem ut facilius archiepiscopus Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres assequatur et Ecclesiae suae, civitati, archidioecesi, cleroque universo indigeno et plebi populoque universo bene provideat, sataget tueri et promovere religionem catholicam apostolicam romanam una cum suis omnibus quibusque iuribus, praerogativis, quibus ex Dei ordinatione atque ex sacrorum canonum praesertim Concilii Tridentini praescriptiobus, nec non ex apostolicis constitutionibus, ab hac sancta Sede latis. Quin igitur ab ullo possit numquam quovis titulo aut colore ullatenus impediri et distrahi in universa sua archidioecesi libere et efficaciter, ea quaelibet animadvertat, praecaveat, iubeat, ordinet, mandet, ac etiam definitive decernat quae ex divina constitutione atque ex sacrorum canonum

praescriptionibus sancita sunt, atque episcopis commendata, inter quae praecipuum et speciale locum tenet integra Dioecesis ubi primum fieri potest visitatio, vel per se vel per alium, si necessitas postulet, statis temporibus facienda, Synodi tum dioecesanae tum provincialis convocatio, fori ecclesiastici plena atque absoluta iurisdictio, et liberrima communicatio quovis tempore tum cum apostolica hac sancta Sede, tum cum universo grege suo et populo, qui vicissim possit et proprium pastorem, quotiescumque opus fuerit, sine ullo impedimento adire; facultatem eidem archiepiscopo Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres tribuentes ordinariam iurisdictionem exercendi non modo super suam archidioecesim, sed etiam super quinque illas suffraganeas dioeceses, quae olim Archiepiscopo de la Plata, et modo ipsi metropolitico iure parebunt, cum omnibus iuribus, privilegiis, indultis, favoribus, ceterisque de more concomitantibus, quae communi iure et ex sacris canonibus in Americae regionibus usu esse Nobis compertum est.

Cum vero nova haec archidioecesis quam late pateat multisque abundet pagis, civitatibus, oppidis, ob nimiam amplitudinem locorumque distantiam facultatem plenumque ius Archiepiscopo tribuimus duos habendi atque sibi diligendi generales Vicarios, quorum alter in Civitate Buenos Ayres, alter vero in aliquo oppido aut civitate ab ipsomet pro tempore archiepiscopo statuendo. Quod si necesse esse contigerit alias ipsius dioecesis paroecias aut concinnioribus finibus aptandi, aut noviter consti-

tuendi, Archiepiscopus Sanctissimae Trinitatis, seu de Buenos Ayres in Domino id peragat, collatis tamen cum Gubernio consiliis ad ea, quae canonice oportent pro sustentatione uniuscuiusque ecclesiae parochi sive rectoris, Nobis et successoribus Nostris plenam absolutamque facultatem reservantes, si in Domino oportuerit, vastam hanc archidioecesim de Buenos Ayres circumscribendi, eiusque ecclesiasticae provinciae aliquid vel subducendi vel suffraganeam ecclesiam addendi, quotiescumque illis christifidelibus magis expedire visum fuerit.

Cum vero Antistes Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres ob auctam suam dignitatem maiores habeat sumptus et gravioribus continuo subsit in commodis in administratione suae Archidioecesis et Metropolitanae provinciae, non solum illi confirmamus omnes redditus, qui modo eius mensam efficiunt, sed volumus atque mandamus ut quam primum, et quo meliori fieri poterit modo, mensa ista de Buenos Ayres amplietur atque augeatur ad norinam ceterarum in America metropolitanarum; tam vero ipsa archiepiscopal mensa, seminarium, et capitulum metropolitanum, quam minores ecclesiae, et quorumcumque piorum operum aut sodalitatum instituta vel actu existentia vel quae in universa de Buenos Ayres provincia ecclesiastica quovis tempore existere poterunt, instituti bona etiam stabilia ultro et libere possidere queant, acquirere, sibi legari, cum absoluto et pacifico dominio retinere, administrare et quatenus etiam opus sit efficaciter vindicare; quae quidem bona omnia et ceterarum fundationum ecclesiasticarum alienari

aut vendi minime poterint, nisi venia ab hac sancta Sede implorata ad sacrorum canonum et praesertim Concilii tridentini normam atque iussionem.

Archiepiscopatus Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres taxam in singulis eius futuris vacationibus statuimus in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni parte, ipsamque in Libris Camerae Apostolicae, Sacrique S. R. E. Cardinalium Collegii inscribi, perpetuoque pro Bullarum expeditione ad posteras eiusdem Archiepiscopatus provisiones observari praecipimus ac easdem praesentes Litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quantumvis iuridico et substanciali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendententes, seu putantes cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant ad id vocati, citati, et auditи non fuerint, ac eisdem praesentibus non consenserint ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanaverint minime vel minus sufficienter examinatae fuerint et ex quacumque alia causa quantumvis legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna impugnari, invalidari, infringi, aut ad viam et terminos iuris reduci, ac adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium etiam ex capite cuiuscumque praiedicj impetrari, ac etiam Motu et potestatis plenitudine similibus per quoscumque Romanos Pontifices successores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodo-

libet uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtainere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialiter minime comprehendendi, neque comprehensa aliquo modo censerri, sed semper ab illis excipi, et quoties illa emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore; sicque et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes et causarum Palatii Apostolici Auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice Legatos dictaeque Sedis Nuncios ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, honore et praeeminentia fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca ut haec omnia a Nobis superius mandata plenum felicemque sortiantur effectum, atque omnia a Nobis disposita rite planeque et exacte confiantur, memorato Venerabili Fratri Mariano Escalada Episcopo predictae Sanctissimae Trinitatis seu de Buenos Ayres modo ad Archiepiscopalem Dignitatem evecto per praesentes committi-

mus atque praecipimus, ut ipse ad praemissorum omnium exequitionem procedat necessarias et opportunas Ei impertiendo facultates, quibus ad opus hoc explendum alteram idoneam probamque personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare queat, ita ut idem Marianus Antistes per se vel ipsam subdelegandam personam valeat ea cuncta ordinare, declarare, curare, ac etiam definitive decernere quae magis opportuna ad hoc undecumque negocium probe feliciterque perficiendum visa fuerint in Domino expedire, appellatione quacumque etiam remota.

Non obstantibus Nostra et Cancelleriae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac Late ranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis dictae Ecclesiae de Plata, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie ac alias cum quibusvis etiam derogatoriарum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam Motu proprio, scientia et potestatis plenitudine iuribus itemque consistorialiter etiam in fundatione et primaeva institutione, seu alias quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro il-

lorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaeviis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nil penitus omissio, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficenter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod idem Marianus Antistes infra annum ab expleta earumdem praesentium exequitione nedum exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium in huiusmodi exequitione ferendorum, verum etiam aliorum quorumcumque quae super hoc negotio illata fuerint atque perfecta, una simul cum topographica Charta novae huius sic erectae et institutae metropolitanae Provinciae ut insimul in Archivio Congregationis praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praepositae ad perpetuam rei memoriam et observantiam custodiantur.

Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis in iudicio et extra illud eadem prorsus adhibeatur

**fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.**

**Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exemptionis, dissolutio-  
nis, separationis, constitutionis, condecorationis,  
erectionis, subiectionis, assignationis, attributionis,  
declarationis, institutionis, concessionis, imperti-  
tionis, mandati, indulti, decreti, commissionis, de-  
rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu te-  
merario contraire; si quis autem hoc attentare pree-  
sumperit indignationem Omnipotentis Dei ac Beato-  
rum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit  
incursurum.**

**Datum Romae apud sanctum Petrum Anno In-  
carnationis Dominicae millesimo octingentesimo  
sexagesimo quinto III Nonas Martii. Pontificatus  
Nostrorum Anno decimo nono.**

**M. CARD. MATTEI PRO-DATARIVS**

**N. CARD. PARACCIANI CLARELLI**

**Visa de Curia**

**D. Bruti**

**Loco ✕ Plumbi**

**I. Cugnonius**

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ERIGITVR SEDES EPISCOPALIS HVANVCENSIS  
IN PERVVIANA DITIONE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**S**ingulari animi Nostri iucunditate plurimis ab hinc annis audimus Christianam religionem in disiunctissimis atque amplissimis Americae partibus ita succrescere atque florere, ut quae olim regio sub imperio plures numerabat Episcopales sedes, aucto atque multiplicato Christifidelium numero, a Nobis, qui licet indigni Ecclesiae gubernaculum habemus, novas Dioecesium circumscriptiones, novosque Episcopos flagitet, qui vineam Domini diligenterius uberiusque excolere valeant. Ita Deus ille Optimus Maximus, qui percutit et sanat, sternit et erigit, in tot tantisque aerumnis, quibus in Dominico grege pascendo premimur, solatur infirmitatem Nostram, Nobisque animum et robur porrigit ad currendam alacriter viam Nobis ab ipsomet Christo constitutam.

Pronas itaque aures accommodavimus precibus dilecti Filii illustris ducis peruvianaee Reipublicae Praesidis Ioannis Antonii Pezet per dilectum etiam filium Aloisium Mesones ipsius Reipublicae apud hanc Sanctam Sedem actualem negotiorum Gestorem Nobis relatis, quibus humiliter ipsius Rei-

publicae voto et nomine postulabat, ut in amplissima Limana Archidioecesi totum territorium seu *departamento de Junin* dismembraremus, novamque Episcopalem Sedem erigi vellemus. Quapropter Nos qui alias in Apostolicis Litteris postremae provisionis Metropolitanae Ecclesiae Limanae Nobis et Apostolicae Sedi facultatem reservavimus novam Dioecesis Limanae circumscriptionem Nostro ipsiusque Sedis arbitrio quocumque tempore ineundi, quique fidelium omnium spirituali bono unice intenti, quod Deo disponente suscepimus munus pro viribus exequi non destitimus praelaudati Praesidis postulationes benigno favore prosequi volentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque censuris et poenis tam a iure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium consequendum harum serie respective absolventes et absolutos fore censemtes, nec non consensum Venerabilis Fratris Archiepiscopi Limani desuper praestitum, ratum acceptumque habentes, ac aliorum omnium in huiusmodi negotio interesse habentium, sive quomodolibet habere putantium seu praesumentium assensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum serie supplentes, cunctisque quae animadvertenda erant matura deliberatione perpensis, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae plenitudine potestatis ad maiorem Dei gloriam Beatorumque Apostolorum Petri et Pauli honorem, atque ad catholicae religionis incrementum quinque illas provincias, quae vernaculo idiomate nuncupantur Hua-

nuco - Huamalies - Pasco - Tauia - Tarma, quibus  
 nempe in Peruviana ditione constat totum terri-  
 torium quod *departamentum Junin* appellatur, illam-  
 que regionem una cum omnibus utriusque sexus  
 incolis cuiusque sint gradus, ordinis et conditionis,  
 ecclesiis, beneficiis, locis piis, civitatibus, pagis,  
 ruribus, paroeciis, oratoriis, monasteriis, institutis,  
 bonis, rebus, ceterisque de more inhaerentibus  
 atque concomitantibus cumque omnibus adnexis ab  
 ordinaria iurisdictione ac spirituali dominatione et  
 administratione praefati Limani Archiepiscopi Apo-  
 stolica auctoritate omnino eximimus, dissolvimus,  
 perpetuoque disiungimus atque dismembramus, quin  
 tamen per hoc eidem Limano Archiepiscopo ali-  
 quid in suo censu afferatur detrimenti. Declarantes  
 eidem et in tempore Archipraesuli ex collatis cum  
 Limano Gubernio consiliis, promissisque Nobis datis  
 easdem ac antea rependendas esse et fore probatas,  
 et conventas dotations ab aerario publico, quarum  
 omnes annui redditus integre et omnino solvendi  
 in perpetuo erunt. Et quoniam p[ro]ae ceteris cir-  
 cumsitis oppidis illud praecipue cui nomen Huanuco  
 eiusque provinciae caput et in ipsius regionis cen-  
 tro positum opportunis idecirco aptioribusque uti  
 perhibetur praerogativis, aliisque circumstantiis, ad-  
 miniculis et conditionibus praeditum esse digno-  
 scitur illud ad civitatis Episcopalis fastigium at-  
 tollimus, fruiturum deinceps omnibus et singulis  
 praerogativis, honoribus, favoribus, gratiis, indul-  
 tis, privilegiis et ceteris quibuslibet, quae ordi-  
 narie obtinent aliae in Peruviana ditione civitates  
 Episcopali residentia decoratae, quibusque communi-

iure legitimoque usu ipsarum cives atque incolae fruuntur et gaudent, ac frui et gaudere solent Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo evehimus et attollimus, atque adeo in Episcopatus noviter erigendi Huanucensis eiusque in tempore Antistitis residentiam erigimus. Cum autem haud perhibitum sit Nobis templum in Cathedralem redigendum, praesentium Nostrarum Litterarum Exequtori inferius nominando per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus in ea civitate templum eligat satis amplum quod decore et sacrarum rerum suppellectili fulgeat omnibus· adminiculis necessariis ad maius divini cultus exercitium obeundum, illudque in Cathedralem sub eadem antiqua invocatione permansuram, ac eamdem si qua illi immineat servaturam parochialitatem, Apostolica ei a Nobis delegata auctoritate constituat et erigat, et constitutam et erectam declaret , ita ut proinde Ecclesia ipsa potiatur, fruatur et gaudeat omnibus iuribus et praerogativis, honoribus , indultis, favoribus, privilegiis, ceterisque quibuslibet, quae ex sacrorum canonum dispositione obtinent, adhibent atque tueruntur aliae in Peruviana ditione existentes Cathedrales ecclesiae, praecipiendo ut in sic instituenda et erigenda, ac postquam instituta et erecta fuerit erigatur iugiterque constabiliatur Sedes et dignitas episcopalnis pro uno in posterum Praesule Huanucensi nuncupando, qui suae Episcopali Ecclesiae Civitati, dioecesi universoque proinde suo clero et populo accurate salubriterque praesit; ideoque diligenter religionem Catholicam Apostolicam Romanam ubique sartam tectamque iis cum omnibus

iuribus et praerogativis, quibus ipsa ex Dei ordinatione perfaci debet, sacrorumque canonum sanctionibus perpetuo servare, magisque promovere in Domino queat atque omni impedimento cuiusvis generis remoto, atque sublato liber omnino sit ea quaelibet dignoscere, ordinare, iubere, statuere atque decernere quae pastoralis sui officii, ministerii dignitas atque opportunitas requirunt; habeat insuper pro libero Ecclesiasticarum rerum exercitio, suaeque Dioecesis regimine Vicarium generalem, consiliarios et adiutores, quos ad huiusmodi officia iudicaverit idoneos et opportunos; cetera denique sui Apostolatus munera ita tueri et moderari possit, prout in sacris canonibus praesertim sacri Concilii Tridentini, ceterisque Romanorum Pontificum predecessorum Nostrorum constitutionibus indictum praescriptumque reperitur; praecipue vero causas matrimoniales aliasque ad forum Ecclesiasticum spectantes cognoscat, deque iis efficaciter pertractare ac sententiam ferre; cum suo clero et populo ad suum officium rite obeundum libere communicare valeat, ideoque dioecesanam visitationem peragere, suas instructiones ordinationesque, mandata, decreta publicare, atque liberam cum hac S. Sede Apostolica etiam pro suo clero et populo communicationem habere atque tueri queat. Quisquis itaque Huanucensis Episcopus cum adnexis tam honoribus ac privilegiis, praerogativis, quam oneribus et muniis ea obtineat exerceatque singula quae iure communi sunt Episcopi propria. Libere igitur exercere valeat suam ordinariam iurisdictionem, regimen, administrationem, praesidentiam, vigilantiam,

disciplinam atque auctoritatem episcopalem super universo praefatae suae dioecesis clero et populo, exceptis iis, si quae forsan sint, quae gaudeant specialis mentionis privilegio; probe insuper ac diligenter dioecesanam Synodus aliquando congreget, atque rite conficiat sive personalia, sive mixta iura, munia , praerogativas , facultates et quaevis alia quae ordinarie obtinent, iisque utuntur et defunguntur alii peruvianaे Dioecesis Antistites Episcopi.

Commendatum vero sit sollicitudini Peruviani Gubernii, ut quo citius fieri potest satagat, sicuti melius contingere poterit, prope Cathedralem Ecclesiam satis amplum atque idoneum decenterque superiectili instructum comparare palatum pro Episcopi habitatione, ipsiusque Curiae et Cancellariae, atque in eius liberam proprietatem stabiliter atque perpetuo adiudicandum. Interea tamen temporis, et quamdiu hae propriae aedes haberi nequierint, superius memoratum Gubernium rependere pretium necessarium ut alibi pro huiusce domus tempora-nea conductione teneatur.

Porro novae huic Episcopali Ecclesiae quinque Provincias desuper nominatas Huanuco - Huamalies - Pasco - Tauia - Tarma universum praefatum territorium seu *departamento Junin* efficientes, et ut superius a Lima Archidiocesi perpetuo disiunctas et dismembratas in propriam Dioecesim pari Apostolica auctoritate perpetuo quoque adiudicamus ac ne dum civitatem Huanucensem, sed et ceteras per eas provincias , censitas civitates oppida , pagos , rura et paroecias, omnesque adeo Ecclesias, sive ma-

trices parochiales, sive succursales, sive simplices, nec non oratoria religiosa, itidem utriusque sexus monasteria et pia quaeque instituta consuetaque accessoria cum omnibus et singulis cuiusque sexus incolis, qui tamen specialis exemptionis privilegio neutquam gaudeant, confessim ordinarie pro tempore existentis Huanucensis Antistitis iurisdictioni, administrationi, atque regimini simili auctoritate Apostolica perpetuo item subiicimus, mandantes ut omnia instrumenta, libri et in piis causas legata, nec non eorum fundationes, et alia demum scripta novae totius Dioecesis Huanucensis, ecclesiasticas personas, res, rationes, et privilegia resipientia a Limana cancellaria secernantur, ut subinde in alteram Episcopalis Curiae Huanucensis Cancelariam fideliter perferantur, ibique ad quamlibet futuram necessitatem et normam accurate diligenterque adserventur.

Uti autem novus hic Episcopus, pro eo, quo par est, decore suam tueri possit dignitatem, decus atque impendia pro totius Dioecesis administratione sustinere, committimus atque mandamus praefato executori infradicendo, ut ipse satagat cum eodem praefato Gubernio Peruviana Reipublicae pro Episcopali mensa, pro Ecclesiae Cathedralis Capitulo, sacrario et fabrica, nec non pro seminario dioecesano eam dotationem constituere iuxta normam, quae in eadem Peruviana ditione comperitur admissa et constituta ad novorum episcopatum institutionem et incolumentem perpetuo tuendam, habita tamen temporum et circumstantiarum peculiari ratione,

benigne annuentes, ut interim dotationes huiusmodi congrue constituantur in pecunia numerata quotannis etiam ab eodem Gubernio persolvenda, donec tot bona stabilia pleno liberoque cum dominio adquisita fuerint. Mandamus insuper ut quisque Huanucensis Episcopus libere liciteque percipere valeat ut ceteri Peruvianaे Dioecesis Episcopi quartam, uti vocant, Episcopalem sibi a singulis dioecesanis parochis de more institutoque praestandam , nec non eos proventus, quos trigesimam appellant, atque alia quaclibet emolumenta , quae per ea loca Episcopis persolvuntur.

Ceterum etsi ob nimium Presbyterorum in illis locis defectum, aliasve memorati Gubernii circumstantias Capitulum novae huius Cathedralis nequeat actutum conflari, uti optabile esset, ad divina officia ibidem persolvenda , nihilominus pari Apostolica auctoritate decernimus, ut illud, quam primum fieri poterit, ad sacrorum canonum praescriptum erigatur ac constituatur quod futuri ac in tempore Antistitis Huanucensis sit senatus et consiliarius, ipsumque Antistitem in omnibus quae Diocesis huiusmodi administrationem respiciunt in Domino sedulo diligenterque adiuvet; quod quidem una saltem post pontificalem maiore dignitate ac ex sex canonicis, quorum alteri theologalis, alteri vero poenitentiarii munia de more satisfacienda incumbant, conficiatur; adiecta tamen lege ut postea congrue canonicorum numerus augeatur, accedente, si id fieri poterit, aliorum beneficiatorum seu mansionariorum , aut administratorum collegio , ac concursu praescripto ad tramites canonum et apostolicarum

constitutionum habendo quoad Theologalem et Poenitentiarium canonicatus et Paroecias.

Cui scilicet capitulo, simul ac erectum fuerit, ea prorsus incumbant onera et munia, quae ceteris in Peruviana Reipublicae ditione existentibus capitulis, cathedralibus usu venerint, servatis quoque iure parochialitatis et animarum cura, si Ecclesia in Cathedralem eligenda et erigenda aliquando habuerit. Indulgentes ex nunc ut singuli capitulares conformibus indumentis et choralibus insignibus quae canonici atque beneficiariis Cathedralium Ecclesiarum Limano Archiepiscopo subiectarum respective de iure communi concessa comperiuntur uti, nec non paribus iuribus, honoribus, gratiis, favoribus, praerogativis, privilegiis, illis tantummodo exceptis quae peculiari indulto fuerint fortasse concessa, perfui, ac denique pro recto suo regimine, suorumque munerum norma et observantia capitularia sibi confidere valeant statuta, ordinationes, et decreta iuxta comprobatum illarum Cathedralium morem, ac ita ut haec ab Apostolicis constitutis sacrisque canonibus minime discrepent, neque efficacem legis vim ac sanctionis robur queant ul latenus praeseferre, nisi prius ab Episcopo Huanucensi fuerint penitus perpensa plancque approbata.

At usque dum in praefata nova Cathedrali capitulum ipsum ita saltem inchoandum praesto haberi valeat Apostolica item auctoritate statuimus, ut protinus duo instituantur adstantes presbyteri extra ordinem canonici simplices nuncupandi, qui Episcopo in sacris administrent, et quo meliori fieri poterit modo cultui ipsius Cathedralis addicti sint, et quo-

rum quivis eas ecclesiasticas functiones et munia spiritualia sive in ipsa Cathedrali, sive alibi obire teneatur, quae opportunius in Domino ab ordinario Antistite Huanucensi expedire iudicabuntur; assignata tamen eis congrua dote ab eodem Gubernio itidem quotannis provisorie persolvenda.

Ex delegata autem Apostolica facultate eidem Episcopo permittimus et concedimus, ut prudenti suo arbitrio, et quando opus erit impertiatur nominationem et institutionem ad omnes Cathedralis capituli canonicatus, nec non ad beneficia seu cappellianas, itemque ad parochialia totius dioecesis beneficia, donec aliter ab Apostolica hac Sancta Sede decernatur: servato tamen quoad canonicatus theologalem et poenitentiarium, ceteraque beneficia omnia animarum curam habentia enunciato concursu, aliisque omnibus quae a sacris canonibus et praesertim a Tridentino Concilio statuuntur.

Perpetuo vero sarta tectaque esse volumus tum favore Episcopalis mensae, tum Ecclesiae Cathedralis illiusque capituli, tum aliarum quarumcumque Ecclesiarum, tum Seminarii aliarumque quarumcumque institutionum bona cuiuscumque generis sint, ita ut valeant libere ea possidere atque retinere, possint eisdem libere legari, addici, plenoque cum dominio pacifice ab illis possideri atque administrari. Quae quidem itemque alia fundationum Ecclesiasticarum quarumlibet et pia quaeque instituta minime cum aliis coniungi vel commutari queant neque alieno aere gravari, multoque minus distrahi atque vendi, nisi prius ab hac Sancta Apostolica Sede

facultate impetrata, salvis iis omnibus a sacrosancto Tridentino Concilio Episcopis consulto tributis.

Et quoniam in votis esse debet ut in ea per ampla Christi Domini vinea plures aliquando increbrescant boni operarii, ideo in superius memorata Civitate Huanucensi quam citius fieri poterit ipsius Gubernii Peruviani cura et expensis non modo satis amplum aedificium, sed etiam opportuna rerum suppellectili instructum comparabitur, ut iuvenes in sortem Domini vocati in Dioecesano Seminario iuxta canonicas Concilii Tridentini leges formas et disciplinas ab Episcopo regendo, pietati et litteris theologicisque doctrinis in posterum imbuantur, cumque maxime ad Episcopum pertineat illique singulari modo cordi esse debeat recta et salubris adolescentium institutio, ex qua omnia et singula civilis societatis bona diminant, evigilabit atque providebit quaecumque intersint rectae morum atque studiorum disciplinae fideique orthodoxae tuitioni atque incremento non modo in suo superius memorato seminario, verum etiam in universitatibus, academiis, gymnasiis, aliisque scholis quae intra Dioecesis suae limites vel actu existunt vel existere possunt. Ipsi enim Episcopo singularum animarum cura a Christo Domino demandata est, deque iis rationem Deo est redditurus, quapropter pro meliori Dioecesis suae administratione ius illi erit sibi prudenti arbitrio eligendi Vicarium generalem vel etiam alterum eidem opitulaturum, si praenimia locorum inter se dissitorum distantia aliarunque circumstantiarum ratione utile vel necessarium in Domino iudicaverit.

Ceterum si quando innotuerit probeque constiterit necessarium esse pro animarum cura et regimine commodius utiliusque habendo, ut quaedam eius dioecesis paroeciae aliquatenus circumscribantur vel noviter erigantur, Huanucensis Episcopus libere valideque poterit intra suae Dioecesis limites haec negotia confidere, ordinare, perficere, prudenter scilicet p[re]a initis consiliis atque providentiis cum eodem Peruviano Gubernio ad ea praesertim quae canonice oportent, tum ad unamquamque parochiale Ecclesiam congrue stabiliterque dotandam, tum ad praebendas pro singulis eorum rectoribus atque eorum vicariis coadiutoribus iugiter fundandas, servatis ceteroquin iis quae de iure communi et more legitimo sunt servanda.

Quoties autem Huanucensis Episcopatus vacaverit Cathedralis canonici teneantur sibi de more capitularem Vicarium diligere ad normam sacrarum constitutionum, qui integrum Dioecesim regat, Episcopi munia Vicariis capitularibus de iure competentia satisfaciat et compleat, probe diligenterque totius Dioecesis administrationem obtineat. Quod si vacatio episcopal[is] Sedis contigerit priusquam Cathedralis capitulum fuerit constitutum, tum is erit Vicarius capitularis qui vivente Episcopo vicarii munere iam fungebatur. Quod si duo aderint Vicarii ab Episcopo electi, prior ipsorum tempore erit in Capitularem Vicarium subrogandus, sin autem nullus habeatur iam ab Episcopo deputatus, tum huius negotii perficiendi causa, ad metropolitanum Limanum recursus habeatur, et si quae graves actu[m] urgeant necessitates interim obseruentur adhi-

beanturque ea quae ex iure canonico probe sunt ordinata atque praescripta.

Quoties vero et quamdiu haec Sedes proprio caruerit Episcopo interea temporis anni eius redditus, deductis omnibus impendiis, quae necessaria et opportuna sunt ad illius Episcopatus administrationem obeundam, trifariam, seu in tres aequales partes seu portiones dividentur, quarum una tribuetur in honorarium Vicarii administratoris, alia Episcopo successori ad eius opportunitatem reservabitur, tertia tandem vel pro ipsiusmet Ecclesiae cathedralis fabrica, vel in alios pios usus intra tamen ipsius Dioecesis limites probe religioseque impendatur, uti capitulo si extiterit, secus autem ipsi Vicario administratori in Domino magis expedire videbitur.

Quam quidem Huanucensem Ecclesiam Archiepiscopatus Limani suffraganeam declaramus, illiusque Archiepiscopi metropolitico iuri cum omnibus iuribus, honoribus, privilegiis, quibus ceterae Cathedrales in peruviana ditione potiuntur, utuntur et communi iure fruuntur et gaudent, dicta Apostolica auctoritate subiicimus ac canonicam taxam eiusdem Huanucensis Ecclesiae pro Apostolicarum litterarum expeditione, quoties Antistes illi praeficiendus fuerit in florenis aureis de camera triginta tribus cum tertia eiusdem floreni parte statuimus atque in libris Camerae Apostolicae sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium collegii ad opportunam perpetuamque normam inscribi et observari iubemus. Tandem habita ratione locorum distantiae ac Christifidelium multitudinis Deo servante per ea

loca succrescentis, Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti facultatem reservamus novam ipsam Huanucensem Dioecesim iterum circumscribendi quando et quoniodocumque magis in Domino praestare constiterit. Quocirca Venerabili Fratri Sebastiano Goyeniche Darreda Archiepiscopo Limo per easdem praesentes committimus atque mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium exequitionem procedat necessarias et oportunas ei impertiendo facultates, quibus is ad opus hoc explendum alteram idoneam probamque personam in Ecclesiastica dignitate constitutam subdelegare queat, ita tamen ut idem Sebastianus Archiepiscopus per se vel ipsam subdelegandam personam valeat omni appellatione remota ordinare, constituere, atque etiam definitive decernere ea omnia quae ad hoc negotium probe feliciterque perficiendum in Domino iudicaverit necessaria et opportuna.

Praesentes etc. sequuntur clausulae prout in praecedentibus litteris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXV sexto decimo Kal. Aprilis. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

M. CARD. MATTEI PRO-DATARIVS

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia  
D. Bruti

Loco  Plumbi

I. Cugnonius

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ERICITVR SEDES EPISCOPALIS IARENsis SIVE S. ELISABETHII  
IN INSVLIS PHILIPPINIS

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

**Q**ui ab initio fuit homicida, inimicus homo, numquam destitit in agro Domini seminare zizania , nihilque intentatum reliquit , ut bonum semen a patre familias seminatum vel corrumpatur, vel arescat, vel minorem aut nullum afferat fructum. Quam improbam agendi rationem, si anteactis saeculis assidue servavit, nostra hac aetate videtur inimicum istum animum quodammodo sumpsisse , totisque viribus artes ingeniumque suum convertit, ut vineam optimi patris familias penitus everteret, imo si fieri posset, deleret. Nos licet immeriti ab ipso caelesti Agricola constituti ad hanc vineam excollendam, ab ipso Pontificatus Nostri initio nihil Nobis magis cordi fuit , quam huic Christi eiusque Ecclesiae adversario perpetuum indicere bellum, illumque iis ipsis artibus armisque profligare, quibus ad animas perimendas ubique gentium utitur. Qua-

propter cum ille continuo novos asseclas novosque duces statis in locis, veluti in specula, ponat, qui eius mandatis obtemperent, monitisque exequendis praestet sint, Nos eodem sed meliori gladio pugnantes novos statuimus episcopos novasque circumscribimus dioeceses, ne Christi ovibus ulla de- sint subsidia vel ad bona pascua cognoscenda, vel ad lupos devitandos, vel ad ea omnia praecavenda, quae illis ad aeternam salutem assequendam necessaria esse comperimus.

Cum itaque Nobis compertum exploratumque sit Ecclesiae Caebuanae, seu Nominis Iesu in insulis Philippinis territorium duodecim per amplis constare provinciis, earumque incolarum multitudinem continuo mirum in modum increbescere, unicum pastorem tot tantisque ovibus tutandis imparem omnino esse cognovimus; difficile enim est ut unicus praesul pro rerum agendarum copia, sive ut integrum dioecesim lustret, sive iterum difficultate atque longinquitate ea omnia munera impleat, quae boni et diligentis pastoris propria sunt, illaque adsint inter plebem et episcopum facilis promptaque communicatio, quae ecclesiasticis atque spiritualibus negotiis expediendas in Domino omnino requiritur. Hoc iidem Caebuani seu Nominis Iesu Antistites apprime senserunt, et usque ab anno millesimo octingentesimo trigesimo primo Venerabilis Frater Xantes Gomez Mcranon, qui tunc temporis praefata in regebat Ecclesiam ab apostolica hac sancta Sede expostulavit, ut eius adeo vasta dioecesis circumsciberetur, atque in ea apostolica auctoritate alter conficeretur Episcopatus residentiam in

civico oppido *Iaro* habiturus, atque idcirco *Iarensis* appellandus. Iarum enim, uti accepimus, in vasta planicie situm, caelo gaudens miti atque salubri, ad dexteram magni fluminis *Iloiti* ripam, praesefert portum idoneum frequentissimo industriarum commercio cum iis circumsitis provinciis praeditum; est ipsius *Iloitanae* provinciae centrum, eoque viget cultu atque incremento, ut iam quatuor supra triginta millia incolarum numerum recenseat. Unicam insuper parochiale habet ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae Virginis, vulgo nuncupatam de *Candelaria*, cum adnexa domo pro ipsius parochi residentia satis ampla, ita ut tum ecclesia tum domus satis aptae modo videantur pro cathedrali et pro episcopali palatio, quibus novi *Iarenses Antistites* uti possent, donec ex munifica illius Gubernii cura quam primum vel aedes pro episcopi residentia noviter aedificantur, vel superius memorata Beatae Mariae Virginis ecclesia cum adiuncta domo, uti decet atque sponsum est, amplietur.

Nos igitur pro spirituali earum animarum bono atque utilitate negotium hoc, necessario, ut mature omnia cognoscerentur, tam a summis Pontificibus praedecessoribus Nostris dilatum, confidere omnino cupientes, libenter excepimus preces *Carissimae in Christo Filiae Nostrae Elisabeth* hoc nomine *Secundae Hispaniarum Reginae Catholicae*, quibus a Nobis enixe postulabat, ut *Episcopatus* iste *Iarensis*, *praevia infrascripta* in *Caebuana* seu nominis *Iesu dioecesi* habenda dismembratione, tandem aliquando conficeretur. Itaque piissimae eiusdem *Reginae votis iucundissime annuentes*, preces

superius memorati Praesulis Xantis Gomez Maranon hodierni Caebuani Antistitis antecessoris benigno animo excipientes, atque omnium quorumcumque in huiusmodi negotio interesse habentium, seu quomodocumque habere praesumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum quoque serie supplentes, nec non singulos, quibus hae Nostrae litterae faverent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum quoque serie respective absolventes et absolutos fore censemtes, cunctisque, quae animadvertisserant, matura deliberatione perpensis, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine ea loca, quae hisce vernaculis nominibus per Provincias complectuntur, videlicet Iloito - Capiz - Antique - Calamianes - Zamboanga - Nova Quipuzcoa - Insula Nigrorum a Caebuana Diocesi una cum omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus inibi commorantibus, et consitis quibuslibet ecclesiis piisque institutis una cum eorum bonis, rebus, iuribus, atque ceteris quibuslibet accessoriis de natura sua atque more concomitantibus, separamus disiungimus ac dismembramus, atque ab ordinaria iurisdictione, superioritate, regimine atque administratione hodierni et pro tempore existentis Caebuani Antistitis Apostolica auctoritate omnino eximimus et dissolvimus, atque vigore praesentium separata, disiuncta atque ab ipsa Caebuana Ecclesia penitus dismembrata esse declaramus. Ad maiorem

subinde Dei Omnipotentis gloriam et catholicae religionis incrementum, nec non ad spiritualem illorum Christifidelium bonum consolationemque, Oppidum *Iaro* superius memoratum in insula *Panay* situm, eo quod potioribus praerogativis, adminiculis, iisque omnibus, uti Nobis renuntiatum, polleat, quae episcopalem civitatem decent, constitui mus atque erigimus in civitatem episcopalem, fru turam in posterum omnibus iuribus, praerogativis, honoribus, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis, et aliis quibuslibet, quibus videlicet illarum partium civitates paeconio et residentia episcopali donatae, more legitimo atque communi usu utuntur, potiuntur et gaudent, dummodo non sint peculiari aliquo privilegio aut favore comparata. Ad cathedralitatis quoque fastigium attollimus atque evehimus parochiale illam ecclesiam, quae inter alias inibi eminet, vulgo nuncupatam de *Candelaria* eamdem parochialitatem cum animarum cura servaturam regiae tamen devotionis causa in posterum titularem sanctae Elisabeth denominationem seu invocationem suscepturam atque habituram. Minime enim dubitamus praelaudatam Elisabeth Reginam ea qua pollet religione ac regali munificentia templum illud esse idoneo, decentique modo ornaturam, sacraque supellectili locupletaturam, ut inibi de more ecclesiasticae functiones omnes ab episcopo statis diebus et festis exequantur. Illuc igitur erigatur, perpetuoque constituatur sedes, cathedra et dignitas episcopalnis pro uno posthac episcopo sanctae Elisabeth seu Iarensis nuncupando, qui eidem cathedrali ecclesiae, civitati, ac dioecesi, adeoque uni-

verso illius clero et populo in Domino praesit , dioecesanam synodum convocet , nec non omnia singulaque iura et munia episcopalia obtineat, exerceatque, cathedrale capitulum iubeat, omnibus potiatur et fruatur cathedralibus et pontificalibus quibusque insignibus, honoribus, praeminentiis, gratiis, indultis, prerogativis, iurisdictionibus ceterisque omnibus, quibus hodie in iis Americae regionibus extantes ecclesiae cathedrales, earumque praesules potiuntur, atque gaudent, dummodo peculiari privilegio, vel indulto attributa minime fuerint.

In dotem eius fabricae atque sacrarii ad opportuna et necessaria impendia, quae continuo subeunda erunt pro illius ecclesiae incolumitate decentique cultu, nec non pro duorum sacellariorum inservientium stipendio annuo constituimus censum quingentorum atque octo super viginti argenteorum ponderis illius monetae , quemadmodum est in more institutoque positum pro ecclesia Cathedrali novae Segobiae, ratam acceptamque habentes sponzionem Nobis ab hispano Gubernio, uti modo singulari studio et cura consulitur, datam, huic nempe dotationi accessurum esse quam cito augmentum ad favorem atque opportunitatem singularum ecclesiarum cathedralium , aliarumque in Philippinis insulis existentium.

In propriam autem et circumscriptam huius novi episcopatus Iarensis seu sanctae Elisabeth dioecesis protinus constituimus planeque subiicimus eadem omnia et singula loca, quae uti supra a dioecesi Caebuana , seu Nominis Iesu seiuncta et dismembrata sunt , nempe Provincias *Iloito - Capiz*

*Antique - Calamianes - Zamboanga - Nova Guipuzcoa et Insula Nigrorum*, eaque cum omnibus et singulis incolis, quibusque ecclesiis, oratoriis, ecclesiasticis beneficiis, confraternitatibus, piisque istitutionis, coenobiis, monasteriis quibuscumque, aliisque omnibus iuxta solitum concomitantibus eidem pro tempore Antistiti Iarensi, seu sanctae Elisabeth eiusque in episcopatu successoribus perpetuo attribuimus atque adsignamus.

Cum vero nequeant adhuc praesto esse atque haberi bona stabilia, quae regulariter ad novi cuiusvis episcopatus institutionem iugemque sustentationem necessario requiruntur, indulgemus benigniterque permittimus, ut huic deficienciae suppleatur per numerarias pensiones, pro iis saltem rebus et providentiis quae urgentiora atque magis necessaria sunt huic novae mensae sanctae Elisabeth seu Iarensi. Dabuntur idcirco, quemadmodum solemniter Nobis sponsum est a laudato Gubernio, Episcopo Iarensi seu sanctae Elisabeth quotannis ex publico aerario sex millia argenteorum ponderis illius monetae, idque sedulo fiet, donec aequalem aut maiorem bonorum immobilium vim mensa haec quomodocumque adquisiverit sibique vindicaverit; quo citius autem iuxta datam ab eodem hispanico Gubernio sponzionem comparentur, prope eamdem cathedralē ecclesiam aedes satis commoda atque decentes, atque pleno cum dominio Iarensi seu Sanctae Elisabeth Episcopo tradantur omnibus rebus, et convenienti supellectili praeditae atque instructae pro decora eiusdem Antistitis habitatione, curia, atque ecclesiastica cancellaria protinus in eo-

dem palatio uti mos est constituendis. Quod si parumper opus sit eas aedes conducere, pretii totius pecuniae solutio ab aerario publico persolvenda erit, ne episcopalnis mensa plus aequo detrimentum accipiat.

Cum autem Nobis maximopere curae sit ut in hac nova dioecesi seminarium adolescentium in sortem Domini vocatorum erigatur, in quo ad pietatem litterasque clerici imbuantur, sacris disciplinis erudiantur, et sacerdotio initiati sint lux populi, insigni episcopo adiumento in spiritualibus ecclesiae suae negotiis peragendis, animisque Deo lucrandis, praecipimus atque mandamus ut, quo citius fieri poterit, seminarium erigatur, propriis certisque suis redditibus fulciatur, atque ab Episcopo iuxta normas a sacris canonibus et praesertim a sacra Tridentina synodo constitutas regatur, qui quidem Episcopus in eo ordinando, administrando, confiiendo, atque in litterarum ratione inibi statuenda independens atque liber omnino a quavis saecularis Gubernii influentia esse debeat.

Ne autem novus iste Iarensis Episcopus suo careat senatu, qui illi praesto sit vel in sacris caeremoniis peragendis, vel in dioecesi regenda vel in ceteris omnibus obeundis, quae huiusmodi canonicorum propria esse compriuntur, vigore praesentium litterarum praecipimus atque iubemus, ut Cathedralis capitulum erigatur, uti in ceteris Philippinarum insularum cathedralibus ecclesiis repetitur. Perspectis tamen peculiaribus circumstantiis, habitaque ratione dotationum eorumque omnium, quae illico et immediate comparari fortasse minime

poterunt, singulari favore atque gratia permittimus, ut larensis cathedralis capituli erectio aliquantulum suspendatur seu retardetur, donec omnia saltem, quae primae necessitatis sint, in promptu habeantur, neque dubitamus id quamcuius ab Episcopo larensi seu sanctae Elisabeth pro maiori suo commodo atque utilitate celeriterque esse faciendum. Cathedrale ipsum capitulum constabit ex sufficienti numero canonicorum, ex quibus alter sit poenitentiarius, alter vero theologus; ex aliquibus insuper mansionariis, sive cappellaniis, ut moris est in omnibus cathedralibus ecclesiis, ut sacrae functiones maiori decore, populique gaudio in Domino celebrentur: tam canonici tam beneficiati seu cappellani congruas et convenientes habeant praebendas, quarum collationes semper peragendae erunt iuxta canonicas leges et praxim iam ab hac sancta Sede comprobata pro aliis illarum partium cathedralibus capitulis. Quoad vero beneficia omnia, quae animarum curam habent et praeseferunt, itemque praebendas seu Theologalem seu Poenitentiariam volumus atque mandamus, ne illa conferantur, nisi habito prius ingenii periculo, vulgo *concursu*, ad tramites sacrorum Canonum praesertim Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum habendo.

Ubi autem quamprimum superius memoratum cathedralē capitulum confectum atque statutum erit, omnes et singuli tam canonici, quam cappellani seu mansionarii tenebuntur iuxta aliarum cathedralium inibi existentium normam divina officia vicissim peragere, nec non cetera et quaecumque munera atque ecclesiastica onera obire, quae propriis quibus-

que praebendis adiudicata sunt, quaeque ceterarum cathedralium communi iure propria esse dignoscuntur. Itaque pro maiori domus Dei decore, populique inaiori reverentia sibi concilianda tum canonicis , tum cappellanis seu beneficiariis, ut ipsi licite valeant in choralibus et ecclesiasticis functionibus peragendis ea gestare indumenta atque insignia, atque indumenta ecclesiastica, quae vicinorum cathedralium canonicis atque cappellanis seu mansionariis concessa respective comperiuntur, iis tantum modo exceptis, si forsan ex particulari privilegio, aut indulto attributa fuerint, pari apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. Satagendum quoque erit iuxta sacrorum canonum normam, atque praescriptum, ut ex singularum praebendarum tum canonicorum, tum beneficiorum tertia parte conficiatur massa in quotidianas distributiones eroganda pro diebus et horis ab illis , qui choralibus functionibus de more diligentius interfuerint. Cui quidem capitulo, ut omnia probe convenienterque procedant, potestatem facimus sibi capitularia statuta conficiendi, dummodo sacris canonibus legibusque sacrosanctae Tridentinae Synodi contraria minime sint, neque ullum vigorem aut efficaciam habere queant , nisi prius ab ordinario Iarensi Antistite probentur: gaudet insuper superius memoratum capitulum indulto et potestate utendi atque fruendi singulis quibusque iuribus, privilegiis, indultis, favoribus, honoribus, praerogativis, gratiis, ceterisque omnibus quae alia illarum partium capitula cathedralia, eorumque singuli canonici et beneficiati, seu man-

sionarii habent , quibusque legitimo usu gaudent atque utuntur.

Donec vero cathedralis isthaec ecclesia suo careat capitulo, uti superius dictum est, quo citius efformando, Apostolica auctoritate itidem statuimus, ut interim praesto sint duo viri ecclesiastici sive seculares , sive regulares stabiliter eligendi , qui sacris utique ordinibus praediti Iarensi Episcopo sacra facienti, ceterisque muneris sui rebus fungenti administrent, divina officia in choro, uti melius fieri poterit, persolvant, sacra faciant, plebisque commodo atque spirituali utilitati prospiciant. Qui nimirum, si seculares sint, gaudeant titulo Canonicorum honorariorum, et dum praefata peragent munia, decenter adhibere valeant indumenta et insignia a Nobis Canonicorum Iarensium Collegio largitis atque donatis. Uterque autem sive secularis sive regularis annuam centum ponderum argenteorum illius monetae pensionem ab aerario publico, uti Nobis ultro promissum est, recipient.

Novum hunc episcopatum Iarensem seu sanctae Elisabeth ubi erectum et constitutum fuerit, protinus metropolitico iure subiicimus Manilensi archiepiscopo cum omnibus iuribus, privilegiis, ceterisque, quibus earum regionum episcopales sedes Archiepiscopatibus iure communi subesse Nobis compertum est si vero huiusmodi episcopalnis Iarensis seu sanctae Elisabeth vacatio contigerit , et superius incisoratum capitulum, uti a Nobis statutum est, fuerit efformatum, capitularis Vicarius de more ad sacrorum canonum normam eligetur; sin autem illico et immediate uti Apostolicus Noster delegatus

totius dioecesis administrationem ipso facto suscipiet metropolitanus Antistes de Manila, eoque deficiente, alter ex Episcopis, qui eis in insulis Philippinis prior tempore possessionis reperiatur.

Et quoniam ad ipsius Iarensis Ecclesiae administrationem consultius explendam poterit quandoque interesse, omnia anteacta negotii recte perspecta habere, novo huic Episcopo committimus, ut ipse curet, ut cum bona in Caebuani Antistitis venia, sive originaliter, sive per authentica exemplaria, in suam ab altera Caebuana Cancellaria instrumenta, documenta, causarum positiones, et quaelibet scripta, quoad forum ecclesiasticum respicientia personas, seu res, seu iura provinciarum dismembrandarum earumque parochiarum inferantur, ibique fideliter pro necessitate custodiantur. Ius quoque licitumque perpetuo huic novo Iarensi pro tempore Episcopo esse volumus, non solum novas, si opus fuerit, circumscribendi atque erigendi paroecias intra tamen suae dioecesis limites, praehabitis profecto cum regio Gubernio si opus fuerit, consiliis ad ea omnia suppeditanda, quae canonice intersunt ad unamquamque parochiale ecclesiam congrue dotandam, tam pro ipsius incolumitate et decenti cultu, quam pro fundatione praebendarum, quae ad parochorum et coadiutorum convenientem substantiationem, eidemque Iarensi pro tempore Antistiti ius permissumque erit acceptandi quaecumque bona stabilia, plenoque dominio ac iure possidendi, servandi, administrandi, vindicandi, acquirendi, adiudicandi tum favore novi huiusc episcopatus pro ipsius mensa, seminario dioecesano, fabrica et sa-

crario, capitulo cathedralis ecclesiae, tum itidem pro parochialibus et minoribus ecclesiis, atque piis institutionibus intra suae dioecesis limites actu existentibus, aut quomodolibet et quovis tempore extituris. Quam quidem bonorum immobilium accessionem maximopere eidem praesuli eiusque i lebi in Domino commendamus, eo quod Nobis compertum exploratumque sit, ipso Hispanico Gubernio testante et graviter ferente, imparem publicorum proveniuntum conditionem nondum permisisse suffraganeas ecclesias in illis regionibus existentes muniri singulis omnino dotationibus pro unoquoque episcopatu , tum ad res sacras splendidius peragendas, tum ad animarum curam habendam necessariis atque opportunis.

Quandoquidem regium Hispanticum Gubernium ex data fide propensaque voluntate solemniter sponderit facturum atque praestitum eas omnes oportunas et necessarias dotationes, atque religiose servaturum ea omnia, de quibus in Apostolicis istis litteris sermo est , omnibusque et singulis satisfacturum, quae ad totum id opus iuxta sacros canones rite conficiendum necessaria sunt, Nos peculiari gratia et favore superius memoratam Elisabeth Hispaniarum reginam Catholicam prosequi volentes, ipsi Reginae eiusque in illo regno legitimis successoribus, ut tam prima vice, quam in posterioribus huius novi Iarensis episcopatus vacationibus intra tempus a sacris canonibus definitum , probum , idoneumque virum , spiritu Dei plenum et Christi caritate flagrantem , eidem Iarensi Ecclesiae per Nos seu Romanum Pontificem praeficien-

dum apud hanc sanctam Sedem nominare seu praesentare valeat Apostolica similiter auctoritate etiam perpetuo concedimus et indulgemus , servatis ceteroquin servandis, exceptisque proinde vacationum casibus Apostolicae huic sanctae Sedi communi iure reservatis. Minime enim dubitamus praelaudatam Reginam Catholicam omnem adhibitaram esse operam, ut singula a Nobis constituta integre fideliterque serventur, atque sedulam daturam esse operam, uti sponsum acceptumque est, ut quo citius fieri poterit in Iarensi civitate Xenodochium pro infirmis et egenis, tum mons pietatis ad pauperes iuvandos erigantur , atque firmis legibus constuantur. Canonicam vero huius novae Iarensis seu sanctae Elisabeth taxam pro expeditione Litterarum Apostolicarum, quoties Antistes illi praeſiciendus fuerit, in aureis florenis de Camera triginta et tribus cum tertia eiusdem floreni parte statuimus, sicque in Libris Camerae Apostolicae sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii ad opportunam perpetuamque normam inscribi et observari iubemus. Tandem Nobis Nostrisque in hac Divi Petri Cathedra successoribus pro tempore existentibus facultatem reservamus quatenus, opus fuerit, magisque ob ipsius amplitudinem ad bonum eorum Christifidelium conferet novam hanc Dioecesim Iarensem seu sanctae Elisabeth circumscribendi, quoquomodo Nobis et huic sanctae Sedi in Domino expedire visum fuerit.

Quocirca Venerabili Fratri Gregorio Motithon Martinez Archiepiscopo de Manila per easdem praesentes committimus et mandamus ut ad praे-

missorum omnium exsecutionem procedat , eique necessarias et opportunas facultates tribuimus et concedimus alium probum dignumque virum in ecclesiastica dignitate constitutum huiusmodi exsecutioni subdelegandi seu statuendi, qui quidem Gregorius Antistes , seu eius subdelegatus omnia et singula superius constituta , disquirere , ordinare , disponere , statuere , atque adeo super quacumque questione , si in actu exsecutionis huiusmodi forsan inciderit , statuere , definire atque omni appellatione remota decernere valeat , et possit quae ad totum hoc negotium rite , feliciter , celeriter prudenterque conficiendum , quoquomodo oportuerint .

Praesentes etc. sequuntur clausulae prout in praecedentibus Litteris.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXV, VI Kalendas Iunias. Pontificatus Nostri anno XIX.

M. CARD. MATTEI PRO-DATARIVS

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia  
D. Brutii

Loco  Plumbi

I. Cugnonius

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEDES EPISCOPALIS IVLIAE CAESAREAE  
AD METROPOLITANAEC ECCLESIAE HONOREM EVEHITVR

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**C**atholicae Ecclesiae Auctor et caput Christus Dominus, licet eam urgeri saepe et procellis agitare permittat, nunquam tamen sic deserit quin eamdem alicubi impiorum ausu laborantem, alibi novis accessionibus faustisque incrementis reficere ac recreare videatur. Nullo enim unquam tempore illud Davidis oraculum defecit, nec in posterum deficiet « Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum ». Quod quidem in hac tanta et tam aerumnosa fidei Catholicae exagitatione et discrimine maxima cum animi Nostri voluptate comprobari videimus in Africæ regionibus, in quibus sacrosancta Christi religio augetur in dies et late propagatur.

Sane ex parte Carissimi in Christo filii Nostri Napoleonis hoc nomine tertii Gallorum Imperatoris per dilectum filium Eugenium e Comitibus de Sar-

tiges suum apud Nos et Sedem Apostolicam Legatum accepimus, quod ipse Napoleo Imperator in votis habet ut in per amplis Algerianis regionibus gallici Gubernii dominationi subiectis aliae duae interea constituantur Sedes Episcopales ex dismembratione vastissimae Dioecesis Iuliae Caesareae sive Algeriana, simulque ut ecclesia episcopal is Iuliae Caesareae in Archiepiscopalem et Metropolitanam erigatur, ad hoc ut maiori christifidelium in ea Africae parte commorantium spirituali profectui promptius consuli queat.

Siquidem post perpetratam ab infidelibus longaevo ab hinc tempore destructionem ecclesiarum omnium, quae in illis Africanis regionibus conditae feliciter comperiebantur, tandem sub anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo octavo Petri cathedral regente fel. rec. Gregorio Papa Sextodecimo Praedecessore Nostro id contigit optatissimum, ut una saltem ecclesia Episcopalis potuerit iuvante Domino in Civitate Iuliae Caesareae, italice Algeri, iterum excitari quam ecclesiam cathedralem dictus Gregorius Praedecessor in suffraganeam Archiepiscopo Aquensi in Gallia adscivit, eiusque metropolitico iuri subiecit, usque dum intra limites Algerianos commodior Metropolitana praesto haberet potuisse.

Modo autem miserente Deo latius per ea loca iterum diffuso fidei Catholicae lumine, ac chrisfidelium numero quotidie illac increbrescente, maxime utile valdeque opportunum dignoscitur quod praeconcepta inibi aliarum sedium Episcopaliū insti-

tutio ac Metropolitanae Ecclesiae erectio exsecutioni illico demandetur.

Nos itaque qui catholicae Ecclesiae incolumentati prospicimus et ad eius promovendum incrementum studium atque sollicitudinem intendimus, considerantes quod provida ecclesiarum praesulum administratione christiana respublica per ea loca magis roboratur atque fructuosius pro auctore et consummate fidei Iesu Christo Domino Nostro in dies florescere valeat, atque piis commemorati Napoleonis Imperatoris desideriis atque postulationibus adnuere volentes, nec non consensum Venerabilis Fratris Gregorii Claudii Ludovici Pii Chalandon hodierni Aquensis Archiepiscopi et Iuliae Caesareae seu Algerianae Dioecesis Metropolitae (cuius filiale obsequium erga Sedem Apostolicam dudum perspectum habemus) retinentes, et quatenus opus sit consensi ipsius Gregorii Claudii Ludovici Pii Archiepiscopi et aliorum quorumcumque in huiusmodi negotio interesse habentium ac habere praesumentium de apostolicae potestatis plenitudine harum serie supplentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae litterae favent a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodo libet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum earumdem tenore absolventes et absolutos fore centes, praehabitis cum Imperiali Gubernio consiliis, ac cunctis quae inspicienda erant per Congregationem Venerabilium quoque Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Car-

dinalium rebus Consistorialibus praepositam maturo studio ac deliberatione perpensis; Motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae item potestatis plenitudine Episcopalem Ecclesiam Iuliane Caesareae, quae nunc Metropolitanae Ecclesiae Aquensi, ut praemittitur, suffragatur, illiusque Antistitem, Civitatem, Dioecesanum territorium ac euncta, quae imbi reperiuntur, oppida, loca, ecclesias, oratoria, omniaque cuiuscumque denominacionis et naturae ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, itemque omnes utriusque sexus interolas tum clericos tum laicos, presbyteros beneficiatos ac religiosos quoscumque cuiusvis status, ordinis, gradus et conditionis sint cum singulis inherentibus atque sive de natura, sive de iure, sive de more concomitantibus accessoriis a quavis pristina praedicti hodierni et pro tempore extituri Archiepiscopi Aquensis subiectione, atque adeo a quavis eius superioritate et praerogativa iurisdictionali apostolica auctoritate plene eximimus, perpetuoque liberamus; ipsamque Iuliae Caesareae seu Algerianam Ecclesiam una simul cum sua tota Dioecesi, clero, populo; atque adeo cum respectivis concomitantibus accessoriis praedictis a metropolitica iurisdictione et superioritate memorati Aquensis Archiepiscopi ex nunc in posterum absolutam esse et fore declaramus.

Ab ipsa vero Iuliae Caesareae hodierna vastissima Dioecesi totum, integrumque territorium civilium provinciarum tum de Constantina, tum de Oranis nuncupatarum cum omnibus in eis existentibus civitatibus, oppidis, pagis, rebus, incolis et consuetis accessoriis ad hoc ut isthic, prout latius atque di-

stinctius in aliis nostris contemporaneis Apostolicis Litteris statuitur et explicatur, duae novae et distinctae, Constantiniana videlicet et Oranensis constituantur Episcopales Sedes, eadem Apostolica auctoritate penitus dividimus, perpetuoque dismembramus. Lubentes propterea, quod omnia et singula instrumenta, documenta, causarum positiones, quaecumque denique scripta, quae in re ecclesiastico respiciunt novas Constantinianam et Oranensem Dioeceses, sive illarum incolas, eorumque bona, dispositiones et iura ecclesiasticae naturae atque competentiae a Iuliae Caesareae Cancellaria separantur et extrahantur, atque Constantiniano et Oranensi Ordinariis respective tradantur, ad hoc ut in novorum huiusmodi Episcopatum cancellarias transferri debeant et in eis reponi.

Eamdem autem Episcopalem Ecclesiam Iuliae Caesareae, et in ea titulum, denominationem, natum et essentiam cathedralitatis ita, quod illa ex nunc deinceps Episcopalis Ecclesia esse desinat, ac de cetero uti talis denominari, inscribi et censeri amplius nequeat, nec non Sedem, Cathedram et Capitulum Ecclesiae ipsius eadem Apostolica auctoritate perpetuo suppressimus et extinguiimus.

Civitatem vero Iuliae Caesareae, quippe quae pro ceteris illarum regionum civitatibus eminent, nedum ratione praestantioris ac commodioris loci, ubi condita reperitur, sed etiam propter incolarum multitudinem et advenarum frequentiam, rerum copiam et commercium, atque propter alias praerogativas excellentior, titulo Civitatis Archiepiscopalis et Metropolitanae Apostolica auctoritate praedicta conde-

coramus, adeo ut ipsa frui possit omnibus et singulis gratiis, favoribus, ceterisque, quibus aliae in Galliarum imperiali ditione Civitates Archiepiscopales ordinarie gaudent et gaudere poterunt in futurum.

Insuper Episcopalis Ecclesiae Iuliae Caesareae titulo et nomine cathedralitatis, ceterisque ut praemittitur suppressis et extinctis, Ecclesiam eamdem, quae inibi Parochialis, et in honorem Sancti Philippi Apostoli dicata existit, ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam et laudem, ac Beatae Mariae Virginis, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, eiusdemque Sancti Philippi, atque ad catholicae religionis incrementum et Christifidelium spirituale bonum et consolationem in eminentiorem Ecclesiae Archiepiscopalis et Metropolitanae gradum et fastigium dicta Apostolica auctoritate extollimus, ipsamque Ecclesiam in Archiepiscopalem et Metropolitanam cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis ac honoribus, de communi iure Metropolitanis Galliarum Ecclesiis competentibus, pari Apostolica auctoritate perpetuo erigimus atque constituimus, quae tamen pristinam effati Sancti Philippi Apostoli invocationem, nec non pristinam parochialitatem cum eadem animarum cura ut antea exercenda obtineat.

Et in hac ecclesia sedem, cathedram et dignitatem Archiepiscopalem pro uno deinceps Antistite, Archiepiscopo Iuliae Caesareae, seu Algeriano nuncupando, qui eisdem Metropolitanae ecclesiae, civitati, clero et populo praesit, nomen, titulum et praementiam Archiepiscopi Metropolitani praeseferre valeat, munia et officia Archiepiscopi iuxta Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum san-

ctiones habeat et exerceat, atque iura tum Antistitis in clerum et populum Dioecesis, ut infra assignandae , tum Metropolitae in eius, ut infra designandos , suffraganeos exercere possit , quique usum Crucis, nec non Sacri Pallii, aliorum Archiepiscoporum more, habeat, vix tamen a Sancta Apostolica Sede intra praefixum tempus sub poenis alias incurrendis rite et instantissime in sacro Pontificio Consistorio postulatum, impetratumque fuerit; cum suis capitulo infrascripto, peculiari sigillo, mensa, omnibusque aliis Metropoliticis signis et insignibus, iurisdictionibus et praerogativis Archiepiscopis debit is et concessis, nec non cum honoribus, facultatibus, privilegiis, praeminentiis, gratiis, favoribus et iudicatis, sive realibus, sive personalibus, sive mixtis, quibus alif Archiepiscopi Metropolitani in Gallia existentes de communi iure utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent , pari Apostolica auctoritate perpetuo constituimus.

Isti Archiepiscopali et Metropolitanae Iuliae Caesareae, seu Algeriana Ecclesiae totam civilem provinciam *di Algeri* proprie dictam pro sua Dioecesi perpetuo adiudicamus; cuique Episcopales ecclesias Constantinianam et Oranensem, modo per Nostras contemporaneas litteras ut praemittitur erectas, cum omnibus et singulis consuetis et accessoriis in Suffraganeas simili auctoritate ex nunc perpetuo adsciscimus, atque subiicimus.

Praesignatae Ecclesiae Algeriana in Metropolitanam ut supra erectae Capitulum illico , ac veluti ex nova erectione ad Metropolitani Capituli gradum, titulum et dignitatem Apostolica auctori-

tate praedicta perpetuo evehimus atque extollimus; quod interea constet ex octo priscis Canonicis titularibus, comprehenso Decano, qui prima Capituli ipsius dignitas sit post Archiepiscopalem, qui que ut antea teneatur etiam curam animarum pro annexa paroecia diligenter obire: fiducialiter imperiali Gubernio praedicto commendantes, ut ipsum Capitulum, quamprimum fieri poterit, ad normam aliorum, quae in Gallia Metropolitana Capitula extant, augeatur numero canonicorum titularium, nec non nominentur aliquot Cappellani seu Beneficiarii Mansionarii opportune divinis officiis Metropolitanae addicti; infrascripto praesentium litterarum executori, seu Apostolico Delegato, aut Subdelegato curam committendo, ut pro splendidiore huius Metropolitanae ecclesiae cultu atque decore ad sui libitum alii duo Canonici eiusdem praeter Decanum perpetuo adnexum praeseferant titulum ecclesiasticae dignitatis; pariterque, uti pro Metropolitanis ecclesiis praestat ex iisdem titularibus Canonicatibus, alter pro Theologo, alter pro Poenitentiario, permanenter adsignentur, qui quidem canonicatus Theologalis et Poenitentiarius, nec non Decanatus dignitas curata praedicta iuxta sacrorum canonum praescripta erunt conferendi..

Ceterum praefato Capitulo, quemadmodum eadem incumbere debent onera et munia, quibus Metropolitanae Ecclesiae in Gallia defunguntur, ita simili apostolica auctoritate perpetuo quoque concedimus, ut ipsum omnibus iis praeeminentiis, honoribus, insignibus, favoribus, gratiis, privilegiis atque omnibus ceteris frui et gaudere possit, quibus modo in Gallia

istiusmodi metropolitana capitula ordinarie fruuntur et gaudent.

Insuper praedictis omnibus tum Dignitariis, tum Canonicis (honorariis non exceptis), tum Cappellaniis seu Beneficiariis mansionariis simul ac aderint, ut ipsi valeant ac debeant illa ecclesiastica indumenta et insignia choralia in dictae Metropolitanae ecclesiae quibuslibet ecclesiasticis functionibus, nec non, quoties capitulariter convenerint, extra eam (dioecesanos tamen intra limites) in praesentia etiam quorumcumque ecclesiasticorum Dignitariorum adhibere, quae Dignitates Canonici et Cappellani Capitulorum metropolitanorum in Gallia respective gerunt, iis tantum exceptis, quae ex speciali gratia et favore concessa comperiuntur, auctoritate apostolica praedicta similiter perpetuo indulgemus.

Habita porro etiam sui novi et dignioris status ratione, eidem Capitulo vel pristina reformandi, vel nova sibi conficiendi statuta capitularia, itidemque suas ordinationes et decreta ferendi sacris canonibus et apostolicis constitutionibus penitus consentanea, quae nihilominus ab Antistite Metropolitano sint prius adprobanda, ut sibi valeant canonicam legis vim vindicare, dicta apostolica auctoritate tribuimus facultatem.

Pro Algeriani vero Metropolitae in temporibus habitatione et residentia illud idem antehac episcopale palatum una cum quibusvis adnexis et accessoriis adsignamus atque constituimus, ita ut deinceps istud nuncupetur archiepiscopale palatum, cui tamen praesto sint aedes pro sua Archiepiscopali Vicaria et Cancellaria.

**I**tidem magnum Iuliae Caesareae extans aedificium, in quo Alumni ecclesiastici educantur, hactenus episcopale seminarium, ex nunc in posterum Seminarium Archiepiscopale Algerianum esse declaramus.

**E**t, ut Algerianus Metropolita pro tempore valeat suam decenter tueri dignitatem, atque onera sufferre, quae Archiepiscopo Metropolitano inhaerent, maximopere commendamus imperiali Gubernio praedicto, ut dotatio huius novi Archiepiscopatus ad normam aliarum Metropolitanarum gallicae ditionis ad necessitatem adaugeatur.

**Q**uandoquidem ex desponsa cura et munificentia memorati Napoleonis Imperatoris propositum est et deliberatum, ut pro nova hac Metropolitanana Ecclesia efficaciter prospiciatur iis omnibus et singulis, quae ad aliarum huiusmodi Ecclesiarum in Gallia extantium normam oportere vel expedire dignoscantur; eidem Napoleoni Imperatori et cuique legitimo suo successori dicta Apostolica auctoritate tribuimus facultatem nominandi seu praesentandi ad Sedem Apostolicam intra tempus per sacros canones praefinitum ecclesiasticam idoneam personam, quae Metropolitanæ ipsi ecclesiae Algerianaæ, quoties eam in posterum vacare contigerit, a Romano Pontifice in tempore praeficiatur, servatis ceteroquin, quae de iure et more iuxta conventiones observanda sunt.

**D**eclaramus insuper, quod canonica taxa huius Algerianaæ Ecclesiae, licet ad metropoliticum fastigium provectae, sit itidem constituta in florenis aureis de camera tercentum supra septuaginta, super qua praefinientur impensae pro litterarum apo-

stolicarum expeditione, quoties illi de Archiepiscopo provideri debeat.

Habita vero potissima ratione nimiae amplitudinis, qua Algeriana Dioecesis, licet ut supra dismembrata, adhuc protenditur, Nobis Sedique apostolicae facultatem reservamus alterius ineundae novae circumscriptioonis et dismembrationis huius Dioecesis Algerianae, si, quando et quomodocumque in Domino expedire videatur.

Tandem, ne parumper quidem desit Algerianae per Nos nunc in Metropolitanam erectae Ecclesiae Praesul canonice constitutus, Venerabilem pariter Fratrem Ludovicum Antonium Pavym hodiernum Algerianae seu Iuliae Caesareae Antistitem per praesentes Nostras litteras ipsius Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopum renunciamus, eique, ut ipsam Algerianam Ecclesiam ad Metropolitanae fastigium ut praemittitur nunc erectam, indesinenter possidere, continuoque gubernare possit et valeat absque nova litterarum Apostolicarum sub plumbo expeditione, Apostolica suprema Nostra auctoritate, benignoque favore impertimur, ac potestatem facimus, perinde ac si eaedem litterae ex sacri Pontificii Consistorii praeconio et provisione solemniter ad hoc opus expeditae fuissent. Nihilo tamen minus dictus Ludovicus Antonius Archiepiscopus sacrum Pallium ab Apostolica Sede quaniprimum rite debeat postulare atque impetrare.

Ad consulendum vero incolumitati tum Dignitatis tum Canonicorum novae Metropolitanae huius Algerianae Ecclesiae singulis eorum, qui in memorata Sancti Philippi ecclesia in Metropolitanam erecta

in praesens obtinent Dignitatem et Canonicatus ac praebendas illius pristini et, ut prefertur, suppressi et extincti Capituli Cathedralis, quod ipsi possint et valeant Dignitatem, Canonicatus, praebendasque huiusmodi retinere, iisdemque frui; quin ob desuper illatae Capituli Cathedralis suppressionem atque extinctionem pro hoc digniore statu novas provisionis litteras, vel quosvis alios, sicuti aiunt *Investiture*, sive institutionis, vel possessionis actus peragere, pari apostolica auctoritate decernimus.

Quocirca Venerabili similiter Fratri Flavio ex Principibus Chisiis hodierno Archiepiscopo Myrensi in partibus infidelium Nostro et Apostolicae Sedis apud Imperialem Gallorum Aulam Nuntio per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad executionem praemissorum omnium et singulorum procedat, oportunas et necessarias ei impertinentes facultates, quibus is alteram quoque personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam, subdelegare valeat, atque vel per se, vel aliam personam ab ipso subdelegandam valeat quoque ea omnia et singula ordinare, statuere, ac definire, omniisque appellatione remota decernere, quae ad totum hoc negotium rite perficiendum, vel oportere, vel expedire videantur.

*Praesentes etc. sequuntur clausulae prout in praecedentibus litteris.*

Datum Romae apud Santum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXVI octavo Kal. Augusti Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

Loco  Plumbi.

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ERICITVR SEDES EPISCOPALIS CONSTANTINAE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAN REI MEMORIAM

**C**lementissimus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui consolatur Nos in omni tribulatione Nostra, inter gravissimas, queis preminur, angustias, illud Nobis solatii praestitit, ut succrescentis Africane Ecclesiae felici apostolicorum laborum exitu, copiosisque fructibus laetaremur.

Innotuit enim Nobis, quod postquam Algeriana Provinciae, infidelium impietati dudum obnoxiae, in christianissimam Francorum dominationem fuerunt gloriosissime adductae , inibi christifidelium numerus quotidie magis sucreverit, et vera religio continuo fuerit propagata. Hinc Carissimus in Christo filius Noster Napoleo, tertius huius nominis, Francorum Imperator desideria et vota ipsorum increbrescentium fidelium adiuturus , a Nobis per dilectum filium Eugenium e Comitibus de Sartiges, eius apud Nos et Sedem apostolicam Legatum, obsequenter impetrare properavit, exoravitque, ut prae-

ter Ecclesias Algerianam , quae iam extabat , et Oranensem , quae modo per alias Nostras Apostolicas litteras instituitur , alia Ecclesia episcopalis per Nos in civili provincia de Constantina pariter fundetur atque erigatur.

Nos itaque , qui , ut fideles catholicae religioni accuratius informentur , et infideles ad eam amplectendam facilius adducantur , curam omnem atque operam praecipue praestare studemus , pia et salutaria supradicti Napoleonis Imperatoris vota benigno favore , paternaque providentia obsecundare volentes ; consensum quorumcumque , qui hoc in negotio interesse habent , et quomodolibet putant vel praetendent habere , de plenitudine apostolicae potestatis , qua super universas Ecclesias potimur , praesentium tenore omnino supplentes ; omnesque et singulos , quibus hae Nostrae litterae favent , a quibusvis excommunicationis , suspensionis et interdicti , aliisque ecclesiasticis sententiis , censuris et poenis , a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis , si quibus quomodolibet innodati existunt , ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes ; cunctis , quae erant animadvertenda per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis consistorialibus praepositam maturo consilio examinatis ; Motu proprio et ex certa scientia , deque apostolicae quoque potestatis plenitudine integrum territorium ad primaevam Algerianam Dioecesim spectans , quod universam civilem provinciam de Constantina nuncupatam modo determinat , omnes-

que illius civitates, oppida, pagos, loca atque terras ab ipsa Dioecesi apostolica auctoritate perpetuum in modum dividimus et prorsus dismembramus; proptereaque singulas, quae in eis consistunt paroecias, ecclesias tam seculares quam regulares, cappellas, coenobia, piaque quaecumque instituta atque res ecclesiasticas una cum singulis et quibusvis sive de natura, sive de iure, sive de more, deque congruentia concomitantibus accessoriis, nec non personas, habitatores et incolas utriusque sexus tum laicos tum clericos, presbyteros, religiosos, beneficiarios cuiuscumque denominationis, ac cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existant, ab ordinaria iurisdictione et superioritate praefati moderni et in temporibus Antistitis algeriani seu Iuliae Caesareae simili Apostolica auctoritate perpetuo itidem seiungimus, planeque eximimus.

Quod quidem territorium, ut praemittitur sejunctum, divisum et dismembratum, una cum omnibus et singulis superius expressis et comprehensis in distinctam et peculiarem Dioecesim noviter erigendi Episcopatus Constantiniani ut infra denominandi pari auctoritate perpetuo constituimus et praefinimus.

Civitatem vero de Constantina civilis provinciae huius nominis caput, quae in loco fere centrali consistit, et inter cetera illius oppida potioribus praerogativis est praedita, quaeque pro utiliore aliarum quoque circumstantiarum congruentia ad residentiam Antistitis ipsius novae Dioecesis magis idonea, magisque digna comperitur, Episcopalis etiam Civitatis denominatione auctoritate praedicta

perpetuo augemus atque decearamus. Quam ob rem ipsa civitas, eiusque cives omnibus et singulis uti, frui et gaudere possint et debeant honoribus, iuriis, favoribus, indultis, privilegiis gratiis et ceteris quibuslibet, quibus aliae gallicae ditionis Civitates episcopales, eiusque cives ordinarie utuntur, gaudent atque fruuntur.

Porro quae ipsa in Constantinae Civitate existit, satis ornata ecclesia sub titulo Beatae Mariae Virginis per dolentis ad honorem Omnipotentis Dei et eiusdem Beatae Mariae Virginis, atque Sanctorum Petri et Pauli apostolorum, nec non ad catholicae religionis augmentum, et christifidelium spiritualem utilitatem apostolica auctoritate praedicta in Cathedralem ecclesiam, Constantinianam denominandam, perpetuo erigimus, quae primavum Beatae Mariae Virginis Perdolentis titulum retineat, atque parochialitatem illi ut putatur annexam continuo adservet cum onere animarum curandarum, sive per unum, sive per plures, uti antea, presbyteros, quaeque posthac obtineat atque habeat omnia et singula iura, honores, prærogativas, gratias, favores, privilegia, indulta et quaecumque alia, quae de communi iure, non tamen ex peculiari privilegio, Cathedralibus ecclesiis, in gallica ditione extantibus, comperiuntur concessa atque attributa.

Hinc in memorata ecclesia Sedem, Cathedram et dignitatem Episcopalem pari auctoritate perpetuo instituimus pro uno Episcopo, Constantiniano denotinando, qui recensitae Episcopali Civitati et Dioecesi praesit, sacram pastoralem visitationem

per suam Dioecesim peragat, Dioecesanam Synodus ad opportunitatem cogat, novas paroecias singulis necessariis et opportuniis dotationibus prae-muniendas, et iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini, Apostolicarumque constitutionum conferendas, per quorum rectores potissimum pueri fidei rudimenta et obedientiam, ac christianaे religionis praecepta edoceantur, iidemque bonis moribus et pietate imbuantur, ubi opus fuerit, confidere et constituere, ceteraque tum iurisdictionis tum ordinis officia et munia episcopalia exercere et adimplere satagat, qui suum habeat capitulum Cathedrale, mensam et peculiare sigillum. nec non Seminarium Dioecesanum, suamque curiam et cancellarium; quiique demum, sicuti de communi iure Cathedralium ecclesiarum Praesules intra Franco-rum ditionem gaudent, fruatur omnibus tum cathedralibus tum pontificalibus signis, insignibus, iuribus, praerogativis, honoribus, privilegiis, favoribus et facultatibus quibuscumque.

Quam Constantinianam Cathedralem ecclesiam ut supra institutam immediate noviter nunc erectae Metropolitanae ecclesiae Algerianaē suffraganeam eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque submittimus, cum hoc tamen, quod ipsa suffraganea Constantiniana ecclesia omnibus et singulis iuribus, gratiis, indultis, favoribus et quibuscumque aliis fruatur, quae ceteris in Gallia suffraganeis ecclesiis comperiuntur de communi iure concessa.

Quum vero in erigendis Episcopalibus Sedibus maxime Romanis Pontificibus curae sit, ut plures sacricolae in ecclesiis cathedralibus functiones ec-

clesiasticas solemniter peragant , et quotidie Deo in cantis et hymnis laudes concelebrent ; iccirco in nova sic erecta Constantiniana Ecclesia Capitulum Cathedrale pari auctoritate perpetuo instituimus, quod, quantum ad Canonicorum et Cappellorum, seu Beneficiariorum Mansionariorum numerum, sit ad normam Capitulorum Cathedralium in Gallia extantium. Quos inter Canonicos debeant comprehendendi duo Canonici Dignitarii, videlicet Praepositus sic appellandus , prima post pontificalem Dignitas , et Archidiaconatus Dignitas secunda ; nec non Theologus, atque Poenitentiarius, quibus Theologalis et Poenitentiaria praebendae ad Apostolicarum Constitutionum tramites erunt conferendae. Verumtamen propter presbyterorum inibi deficientiam, aliasque graves circumstantias Apostolica auctoritate praedicta concedimus, quod huiusmodi Capitulum interim confletur tribus tantum Canonicis (canonico praeposito prima dignitate comprehenso) congrua cum assignatione; simulque facultatem Episcopo Constantiniano primo extituro tribuimus, ut convenienter consulat et praescribat, quae sacrae functiones , quaeque officia , et quomodo, et quando ab his Canonicis sint peragenda.

At statim ac huius Ecclesiae Capitulum ad praesignatorum Capitulorum formam et normam fuerit , sicuti par est , adactum atque constitutum , tunc utique omnes et singuli Canonici et Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii, quotidie teneantur ibi ea respective , riteque peragere divina officia, sacrasque functiones et capitularia munia; nec non sustinere alia onera quaecamque ec-

clesiastica, quae cetera Cathedralia Capitula praedicta ordinarie peragunt ac sustinent.

Futuro autem Constantiniano Capitulo auctoritate praefata perpetuo indulgemus, ut singuli eius Dignitarii et Canonici, nec non Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii tam in eorum ecclesia, quam extra (dioecesanos tamen intra limites), quoties capitulariter convenerint, indumenta et insignia, quae apud Cathedrales in Gallia existentes ecclesias Dignitarii et Canonici ac Cappellani respective gerunt et adhibent, libere et licite etiam in praesentia quorumcumque ecclesiasticorum Dignitariorum adhibere et gestare possint.

Huic porro Capitulo Constantiniano, ut fuerit in sufficienti numero constitutum, facultatem pari auctoritate tribuimus, ut sibi valeat confidere capitularia statuta, ordinationes et decreta pro suo regimine et pro suorum munium perfungendorum norma et observantia; cauto tamen, quod ipsa esse debeant sacris canonibus et apostolicis constitutionibus penitus consentanea, quodque ab ordinario Antistite sint prius perpendenda et approbanda, ut deinde queant legis vim canonice habere, planeque sibi vindicare. Pariter perpetuo imperitum, quod omnia et singula obtineat iura et privilegia, nec non quasvis facultates, praerogativas, gratias, honores et favores ac cetera, quae alia huiusmodi Capitula, eorumque Dignitarii ac Canonici et Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii de communione iure in gallica ditione potiuntur.

Et quoniam in civitate Episcopali omnino oportet, ut idoneae habeantur aedes tam pro Episcopi

in temporibus habitatione , eiusque curia et cancellaria, tum pro adolescentibus Dioecesanis, qui in sortem Domini vocati , queant in vinea evangelica succrescere, ideo plurimum commendamus imperiali Francorum Gubernio, ut curet prope Cathedralem Ecclesiam Constantinianam opportunum, decenterque instructum comparare, planeque ad hoc adiudicare palatum, quod Episcopus Constantinianus in temporibus incolat , et in quo eius Curia ac Cancellaria resideat, et quamdiu aedes propriae in hos usus defuerint, praefati Gubernii erit compensare pro illarum conductione. Curetque simul, ut quamprimum fieri poterit, comparetur quoque aedificium commodum et conveniens pro seminario Dioecesano, illudque opportuna rerum supellectile instruatur, quod seminarium ab Episcopo provide libereque regatur et gubernetur, mandantes praefata auctoritate, quod, donec hoc aedificium haberí nequeat, adolescentes novae huius Dioecesis Constantiniane in Seminario Metropolitano Algeriano debeant recipi atque institui.

Iam vero ratas, acceptasque habentes ultroneas memorati Napoleonis Imperatoris sponsiones , se efficaciter curaturum omnia, quae ad novum huiusmodi Episcopatum instituendum fuerint regulatiter necessaria , uti pro episcopatibus, qui anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo in Africanis Coloniis gallicis fuerunt erecti ; hinc apostolica declaramus auctoritate , quod mensae novi huius Episcopatus Constantiniani assignetur dos duodecim francorum illarum partium millium, quibus accedere quoque debeant alii mille pro sacra

visitatione Dioecesana, quae quidem tria et decem francorum millia, ipso Galliarum Gubernio religiose curante, rependenda sint annuatim Episcopo pro tempore Constantiniano. Pariterque volumus, ut singulae dotations Constantiniani Capituli Cathedralis, et seminarii Episcopalis, nec non aliae provisiones noviter sic erectae Cathedralis Ecclesiae et Dioecesis constituantur ad normam aliarum in Gallia extantium Dioecesum Episcopalem.

Attenta autem dotatione praedicta, memorato Napoleoni Imperatori, eiusque legitimis successoribus eadem apostolica auctoritate tribuimus facultatem, ut ipse valeat nominare, seu praesentare ecclesiasticam idoneam personam, quae Constantinae Episcopali Ecclesiae tam hac prima vice, quam etiam in posterum, et quoties illi de suo pastore praevio praeconio in Pontificio Consistorio erit providendum, uti pro aliis Episcopalibus Sedibus gallicae ditionis.

Insuper Nobis, Sedique Apostolicae (eo quod ipsa Constantiniana ut supra praefinita Dioecesis perspiciatur adhuc nimis protenta) reservamus facultatem ineundi novam huiusmet Dioecesis circumscriptionem et dismemberationem, si quando et quomodo visum fuerit magis in Domino expedire.

Simili auctoritate iubemus, quod omnia et singula documenta, instrumenta et quaecumque denique scripta, quae respiciunt ipsam Constantinam Dioecesim, sive illius incolas, eorumque bona, dispositiones et iura ecclesiastici tituli debeat in Algeriana ecclesiastica Cancellaria diligenter inquiri, atque in novam Episcopalem Can-

cellarium Constantinianum transferri, et in ea ad posteram quamcumque necessitatem fideliter asservari.

Statuimus praeterea, quod taxa novae huius Episcopalis Ecclesiae in aureis florenis de camera centum septuaginta constituatur, quae in libris Camerae Apostolicae et Sacri Collegii Cardinalium inscribatur, ac in expeditione bullarum Apostolicarum super qualibet Ecclesiae eiusdem provisione observetur.

Quocirca Venerabili quoque Fratri Flavio ex Principibus Chisiis hodierno Archiepiscopo Myrensi in partibus infidelium, Nostro et Sedis Apostolicae apud Imperialem Gallorum Aulam Nunio, per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exsecutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, oportunas et necessarias ei impertinentes facultates, quibus aliam quoque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam valeat subdelegare; ita quod idem Flavius Archiepiscopus, vel persona ab ipso subdeleganda ea cuncta possit ordinare, statuere atque etiam absque appellatione decernere, quae magis censuerit, vel oportere, vel expedire, ut totum hoc negotium ad optatum exitum feliciter perducatur.

Praesentes etc. sequuntur clausulae prout in praecedentibus litteris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXVI octavo Kal. Augusti. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

Loco  Plumbi.

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ERIGITVR SEDES EPISCOPALIS ORANI

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**S**upremum pascendi munus, quo licet immerentes fungimur, illud in primis postulat ut succrescentium ovium multitudine alii atque alii subinde pastores eisdem assignentur.

Cum autem compertum habeamus in Algerianis provinciis, quae Francorum dominationi subsunt, Christifidelium numerum, iuvante Deo, ita in dies magna cum animi Nostri voluptate increbescere, ut unus Antistes Iuliae Caesareae, sive Algerianus illic per fel. rec. Gregorium Papam decimum sextum Praedecessorem Nostrum primo constitutus spiritualibus eorum omnium necessitatibus prorsus occurrere et satisfacere haud valeat, Nos qui summi Pastoris Iesu Christi in terris vices gerimus, catholicae religionis incolumenti et incremento continuo studere, dissitisque etiam Orbis regionibus, evangelicae praedicationis lumen aducto pro op-

portunitate Pastorum numero diffundere satagentes, lubenti animo propositiones suscepimus, quas Carissimus in Christo filius Noster Napoleo hoc nomine tertius, Gallorum Imperator Nobis per dilectum filium Eugenium ex Comitibus de Sartiges eius apud Nos et Apostolicam Sedem Legatum porrigendas curavit, perficiendi gratia ut altera etiam Episcopalis Sedes, in civili provincia, quae italice di *Orano* nuncupatur, per Nos nunc instituatur atque excitetur.

Accepimus enim quod ipsa provincia, minus idonee, imo et incommode continetur in primaeva Iuliae Caesareae, seu Algeriana Dioecesi, per Nos hodie Apostolicis nostris Litteris ad Metropolitanae gradum et dignitatem elevata, quippe quae et latissime protenditur, et admodum inter se dissitas complectitur regiones, ubi Christifidelium numerus quotidie adaugetur. Itaque suadente opportunitate, et animarum potissimum utilitate, maximopere interesse animadvertisimus, ut quemadmodum nova Episcopalis Sedes, in alia civili provincia de Constantina vocata, ex nostris aliis contemporaneis litteris fuit etiam constituta, ita et altera Oranensis nuncupanda, in memorata civili provincia di Orano erigatur.

Quapropter pias praefati Napoleonis Imperatoris postulationes commendantes, ac consensum quorumcumque in hoc negotio interesse habentium vel quomodocumque habere putantium, vel praetendentium Apostolicae potestatis plenitudine praesentium tenore supplentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae litterae favent a quibusvis

excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, a iure vel ab homine quavis occasione , vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes , ac cunctis quae animadvertenda erant per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus Consistorialibus praepositam maturo consilio perpensis , Motu proprio et ex certa scientia deque pariter Apostolicae potestatis plenitudine totam civilem provinciam di Orano praedictam, integrumque eius territorium, ac omnes et singulas inibi extantes, sive civitates, sive oppida, sive pagos adnexasque terras a primaeva Dioecesi Algeriana , seu Iuliae Caesareae Apostolica auctoritate perpetuo dividimus, penitusque dismembramus, et ideo cunctas quae in illis reperiuntur ecclesias, cappellas, oratoria, monasteria, coenobia, pia instituta; atque res ecclesiasticas , unaque demum cum quibuscumque tam de natura et iure, quam de more atque congruentia concomitantibus accessoriis , itemque omnes et singulos incolas utriusque sexus , tum laicos, tum clericos, sive seculares, sive regulares cuiuscumque gradus et conditionis , sint ab ordinaria iurisdictione, ac spirituali subiectione et administratione moderni et pro tempore extituri Iuliae Caesareae, seu Algeriani Antistitis eadem Apostolica auctoritate perpetuo eximimus, ac omnino dissolvimus.

Dein integrum hanc civilem provinciam ut praefertur divisam et dismembratam, cum iisdem omnibus et singulis superius significatis et comprehensis in propriam et distinctam Dioecesim novae Cathedralis Ecclesiae Oranensis, ut infra erigendae pari auctoritate perpetuo quoque constituimus.

Et quoniam Civitas Orani, quae caput est supradictae huius nominis provinciae, praeceteris illius oppidis potiora perhibet emolumenta, atque alias praesefert praerogativas, quarum intuitu, pro locorum, atque incolarum circumstantiis ad residentiam Episcopi magis idonea, magisque conveniens dignoscitur, iccirco in ipsa Oranensis Ordinarii pro tempore residentiam simili auctoritate collocamus, proptereaque eidem Civitatis episcopalibus nomen pari auctoritate perpetuo donamus, ita quod ipsa omnibus et singulis honoribus, iuribus, gratiis, indultis, privilegiis, ac ceteris, quibus civitates Episcopales in Gallia ordinarie fruuntur ac utuntur, item frui ac uti possit.

Ecclesiam vero quae in memorata Oranensi Civitate extat sub invocatione Sancti Aloisii, ad honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, eiusdemque Sancti Aloisii atque ad catholicae religionis incrementum et Christifidelium spiritualem profectum et utilitatem ad Cathedralis Ecclesiae honorem et dignitatem Apostolica auctoritate praefata perpetuo quoque attollimus, eamque ex nunc in Cathedralem Ecclesiam Oranensem nuncupandam, eadem sub Sancti Aloisii invocatione infra scriptae Metropolitanae suffragaturam perpetuo iti-

dem erigimus ita quod ipsa ex nunc deinceps potitura, ac fruitura sit omnibus et singulis iuribus honoribus, praerogativis, indultis, privilegiis et quibuscumque aliis quae ceteris Ecclesiis Cathedralibus in Gallia, de communi iure comperiuntur concessa; quod si isti ecclesiae titulus parochialis fuerit antea adnexus, praecipimus eumdem etiam in posterum adservari cum onere animarum curandarum.

Adeoque in ipsa Sancti Aloisii ecclesia Sedem et Cathedram ac Dignitatem Episcopalem auctoritate praedicta, perpetuo similiter fundamus pro uno Antistite Oranensi vocando, qui praefatis Cathedrali Civitati Episcopali et Dioecesi praesit, ac sollicite studeat, ut tam in eadem Civitate quam in Dioecesi ad opportunitatem conficiantur et rite consti-  
tuantur aliae novae paroeciae ad praescriptum Concilii Tridentini et Apostolicarum constitutionum, maxime Benedicti Papae Decimiquarti, Praedecessoris quoque Nostri, conferendae, atque curam habeat, ut earum rectores concreditos sibi fideles et praesertim pueros catholicam fidem edoceant, qui-  
que omnia et singula munia et officia tum ordinis tum iurisdictionis episcopalibus ad sacrorum canonum normam obire debeat, ac cuncta episcopalia iura in clerum et populum sibi commissum libere exerce-  
cere valeat cum suis Capitulo, Sigillo, mensa Episcopali, nec non cum universis privilegiis praeroga-  
tivis praeeminentiis, facultatibus, honoribus cete-  
risque quae Episcopi in Gallica Ditione rite obtinent, illisque utuntur.

Hanc vero Ecclesiam ut supra erectam in suffraganeam noviter modo constitutae Metropolitanae

Ecclesiae Algerianae , seu Iuliae Caesareae simili auctoritate perpetuo assignamus, proindeque Antistitem, Clerum, populum, civitatem totamque Dioecesim Oranensem metropolitico iuri Archiepiscopi Algeriani pariter subiicimus, Nobis tamen et Apostolicae Sedi facultatem reservantes ipsammet Oranensem Dioecesim , attenta potissimum ratione eius amplitudinis, circumscribendi et dismembrandi quandocumque et pro maiori Christifidelium inibi commorantium spirituali bono quomodolibet visum fuerit magis in Domino opportunum.

Porro iubemus quod omnia instrumenta, libri et quaevis scripta respicientia personas, res, iura et quoscumque titulos ecclesiasticos huius novi Episcopatus ab Algeriana ecclesiastica Cancellaria pro opportunitate separentur , ac in ipsius Oranensis Cancellariam transferantur, ut in ea ad posteram quamcumque necessitatem fideliter asserventur.

Ut autem ipsa in Ecclesia, per Nos in Cathedralem erecta , nihil decori desit, et divini cultus exercitio, eo quo par est splendore, consulatur, Capitulum Cathedrale pari auctoritate perpetuo instituimus, quod relate ad numerum Canonicorum et Cappellanorum, seu Beneficiariorum Mansioniorum, sit ad normam Capitulorum Cathedralium in Gallia extantium. Ex ipsis Canonicis duos Dignitarios Praepositum videlicet primam, et Archidiaconatum secundam post Pontificalem Dignitatem, nec non unum Theologum, alium Poenitentiarium esse statuimus cum hoc tamen, quod Theologalis et Poenitentiarius Canonicatus ad tramites

Apostolicarum constitutionum rite conferri debeant. Facta tantum venia ut interea propter actualem presbyterorum deficientiam , aliasque circumstan- tias , hoc Oranense Capitulum tribus tantum Ca- nonicis constare valeat, quorum unus sit Prae- positus , prima ut praemittitur illius Dignitas, huic ecclesiae meliori quo fieri poterit modo inservitur. Cum primum vero huiusmodi Capitulum, ad praesignatam dictorum Capitulorum formam et nor- mam fuerit adiectum, atque constitutum, tunc uti- que omnes et singuli illius Dignitarii Canonici et Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii, quotidie teneantur respective recteque peragere divina of- ficia sacrasque functiones, ac munia choralia, nec non sustineant alia quaeque adnexa onera eccl- esiastica, quibus Cathedralia Capitula in Gallia ordi- narie perfunguntur et ad quae obligantur.

Quae quidem ecclesiastica munia et officia gra- viter ornateque obeundi gratia futuris praedictae Cathedralis Oranensis Ecclesiae Dignitariis et Ca- nonicis et subinde Cappellanis , seu Beneficiariis Mansionariis, ut ipsi ea ecclesiastica indumenta et choralia insignia , in ipsius Cathedralis Ecclesiae quibusvis ecclesiasticis functionibus, nec non quo- ties capitulariter convenerint extra eamdem eccl- esiam (dioecesanos tamen intra limites) in praesentia etiam quoruncumque Dignitariorum ecclesiastico- rum valeant et debeant habere adhibere et gestare quae apud Cathedrales ecclesias in Gallia extantes respective adhibent, atque gestant Dignitarii, Ca- nonici ac Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii, ex- ceptis iis indumentis choralibus , quae peculiari

ex concessione, vel titulo oneroso adquisita dignoscuntur, Apostolica auctoritate praedicta perpetuo indulgemus.

Huic autem Capitulo vix ut praefertur completo, quod valeat, atque satagat sibi confidere statuta capitularia, ordinationes et decreta pro suo recto regimine, ac pro suorum munium regula et observantia, pari auctoritate facultatem impertimus, quae tamen omnia et singula sacris canonibus et apostolicis constitutionibus penitus consentanea esse debeant, et ab Oranensi pro tempore Antistite sint adprobanda, ut dein queant efficacem legis vim habere, atque sibi vindicare.

Insuper eidem simili auctoritate perpetuo concedimus, ut fruatur potiatur et gaudeat omnibus et singulis quibusvis iuribus, facultatibus, praerogativis, honoribus, gratiis, privilegiis cunctisque ceteris, quibus alia eiusmodi Capitula ordinarie et respective in Gallica ditione, de communi usu potiuntur gaudent, atque fruuntur.

Eadem Apostolica auctoritate statuimus, quod Antistes, pro tempore, Oranensis aedes habeat necessarias satisque idoneas, tam pro sua decenti habitatione, quam pro eius Curia et Cancellaria ecclesiastica, quae ex Gubernii procuratione, ac expensis erunt comparandae, et ad id plane adiudicandae, quaeque Cathedrali Ecclesiae proximae sint, vel saltem non procul dissitae. Quamdiu vero aedes propriae in hos usus defuerint tamdiu praedicti Gubernii erit rependere pretium pro earum annuali conductione.

Praeterea quia maximopere interest, quod alumnii ecclesiastici Oranensis Dioecesis, in Seminario bonos mores disciplinam et scientiam edocti continuo succrescant evangelici operarii, statuimus pariter, quod iuxta datam a praefato imperiali Gubernio sponzionem Oranensi in civitate, ut primum fieri poterit, aedificium habeatur, in quo erigatur, atque instituatur Ecclesiasticum Seminarium necessariis quibusque instructum, quod ab Episcopo Oranensi, pro tempore, in omnibus erit regendum, atque gubernandum. Interea clerici adolescentes ex Oranensi Dioecesi possint et debeant in Algeriano Seminario recipi, atque institui.

Quod vero ad Oranensis mensae Episcopalis, ac Capituli Cathedralis, ac Seminarii praefatorum donationem spectat, ad hoc, ut valeant Antistites in temporibus suam dignitatem decenter tueri, oneaque episcopalia perferre, et Dignitarii Canonici ac Cappellani, seu Beneficiarii Mansionarii propriae exhibitioni, ac cultui divino in eorum Cathedrali ecclesia exercendo providere, et Seminarium Episcopale necessariis sumptibus supplere, habentes ratum et acceptum, quod ex commemorati imperialis Gubernii sponsione consultum deliberatumque est, declaramus, quod dos mensae Episcopalis Oranensis sit eadem quae assignata fuit Episcopatibus anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, in Africanis Coloniis Gallicis noviter erectis, ideoque constet annuis duodecim francorum illius monetae millibus, quibus accedere debeant alii mille pro sacra Dioecesana visitatione peragenda, quae quidem tria et decem francorum millia ipso

Gallico Gubernio curante in singulos annos erunt persolvenda. Quodque dos Capitulo Cathedralis praedictae assignanda sit eadem met, quae Capitulis Cathedralium in Gallia extantium assignata comperitur, quaeque in singulos Dignitarios Canonicos et Cappellanos, seu Beneficiarios Mansionarios iuxta eorumdem Capitulorum normam erit dispartienda cum hoc tamen, quod tertia pars redditus mensae Capitularis, pro distributionibus quotidianis adtribuatur et quod Seminarium Episcopale, postquam fuerit erectum et necessaria supellectile praeditum, congruum annum habeat censem, ac sufficiens pro omnibus illius oneribus sustinendis. Itemque Cathedrale templum habeat, unde illius fabricae et sacrario queat providere.

Attenta autem dotazione praedicta, memorato Napoleoni Imperatori, ac eius legitimis successoribus Apostolica auctoritate facultatem tribuimus nominandi, seu praesentandi ecclesiasticam idoneam personam, quae Oranensi Episcopali Ecclesiae, tam pro hac prima vice, quam etiam in posterum, et quoties illi de suo Pastore erit providendum, servatis ceteroquin servandis, in Episcopum per Romanum Pontificem praeficiatur.

Tandem praescribimus, quod taxa novae huius Episcopalis ecclesiae Oranensis constituatur in aureis florenis de camera centum septuaginta, quae taxa protinus, tum in Apostolicae Camerae, tum in Sacri Collegii Cardinalium libris inscribatur, eaque in expeditione Bullarum Apostolicarum, super qualibet huius Ecclesiae provisione erit observanda.

Quocirca Venerabili etiam Fratri Flavio ex Principibus Chisiis hodierno Archiepiscopo Myrensi in partibus infidelium Nostro et Apostolicae Sedis apud Imperialem Gallorum Aulam Nuntio per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad executionem praemissorum omnium et singulorum procedat, oportunas et necessarias ei impertinentes facultates quibus is alteram quoque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ac vel per se vel per personam subdelegandam ea cuncta possit etiam ordinare, mandare, statuere quae oportere vel expeditre videantur, atque adeo definitive super cuiusvis quaestionis casu, si forsan inciderit, decernere, pronuntiare, omnique appellatione remota statuere atque perficere, ut hoc negotium ad optatum finem feliciter perducatur.

Praesentes etc. sequuntur clausulae prout in praecedentibus litteris.

Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXVI octavo Kal. Augusti. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

Loco  Plumbi.

# INDEX

---

MDCCCLXV

- Litterae Apostolicae sub plumbo - *Immutibili sua voluntate* - die 5 martii. Disiunctio ab Archiepiscopatu de Plata territorii Ecclesiae Episcopalis SS. Trinitatis seu de Buenos Ayres in Republica Argentina, et huius erectio in Ecclesiam Metropolitam cum nova sua Provincia ecclesiastica (V. in Append.). . . . . pag. 447
- Similes - *Singulari animi Nostri* - die 17 martii. Distractio cuiusdam partis territorii Archidioceses Limanae in Peruviana Reipublicae ditione, et erectio novae Sedis Episcopalis Huanucensis. (V. in Append.). . . . . » 463
- Allocutio habita in Consistorio secreto die 27 martii - *Omnium Ecclesiarum cura* - Nuntiat dimissionem Clementis Bahus a dignitate et munere Patriarchae Antiocheni Graeco - Melchitarum, eiusque loco confirmat electionem seu postulationem Gregorii Iussef soluti a vinculo Ecclesiae Ptolemaidensis, quo obstringebatur, eidemque Sacrum Pallium concedit. Insuper manifestat interitum Maximiliani II Bavariae

- regis ; leviter attingit tristissimas res , quae in Mexicano imperio evenerunt, spe confisus fore ut Maximilianus Imperator gravissimas velit illius Ecclesiae reparare ruinas. Laudat catholici orbis et praesertim Italiae sacrorum Antistites, qui nullis deterriti periculis Ecclesiae et Apostolicae Sedis iura tutantur et vindicant, eosque hortatur ut magis magisque Deo preces adhibeant . . . » 3
- Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Sapienter ac vere de Ecclesia Dei* - 25 aprilis, quibus Ven. Dei famula Maria ab Angelis ex Ordine religiosarum Sororum Carmelitidum Excalceatarum inter Beatas recensetur. . . » 10
- Similes - *Quum adolescentia* - 9 maii, quibus Ven. Ioanni Berchmans Soc. Iesu alumno Beatorum caelitum honores decernuntur. . . . . » 16
- Similes sub plumbo - *Qui ab initio fuit homicida* - die 27 maii. Quaedam Provinciae ab Ecclesia Caebuana, seu Nominis Iesu in Insulis Philippinis distrahuntur , ex eisque componitur et erigitur nova Sedes Episcopalis Iarensis , seu sanctae Elisabeth. (V. in Append.) . . . . . » 477
- Allocutio habita in Consistorio secreto die 25 septembris - *Multiplices inter etc.* - Enumerat Romanos Pontifices Praedecessores, qui sectam *Massonicam*, deinde *Carboniariorum*, aliasque eiusdem generis societas condemnarunt; ipsarum impia molimina detegit. Eas iterum reprobat et damnat sub iisdem poenis , quae in variis eorumdem Pontificum Constitutionibus continentur. Fideles hortatur ut a doliosis sectariorum fraudibus caveant. . . . » 23
- Encyclica ad Archiepisc. et Episcopos Americae meridionalis - *Meridionali Americae* - 30 septembris. Pastoralis ipsorum caritatis officiis commendat Collegium in Urbe comparatum indigenis illis adolescentibus Clericis excipiendis instituendisque , ne mole ipsa sua corruat. Etenim ob tenuitatem virium impar prorsus experitur oneri ferendo. » 29

## MDCCCLXVI

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris, - *Gravissimum supremi Nostri etc.* - die 12 februarii. Collegium Societatis Iesu Scriptorum ephemericis *La Civiltà Cattolica* in Hospitio Urbano haereticis convertendis perpetuo erigitur et constituitur Praeposito generali subiectum. Si forte inde recedere debeant, in alia qualibet Civitate possint consistere, et si nullus opportunus locus operi prosequendo reperiatur, fundi et redditus in eamdem operam reserventur mature instaurandam. . . . » 31

Allocutio habita in Consistorio secreto die 11 maii - *Cum ob luctuosissimam* - qua Summus Pontifex, audita relatione Card. Congr. Sacrorum Rituum Praefecti, exquirit PP. Cardinalium sententiam de canonizatione Mart. Iosaphat Kuncewicci, et Petri de Arbues ; et admonet hac super re alia Consistoria ex more esse indicenda. . . . » 37

Allocutio habita in Consistorio secreto die 22 iunii - *Apostolici Nostri Principatus* - Sacro Cardinalium Collegio adscribit in ordine Presbyterali Paulum Cullen Archiep. Dublinensem, Gustavum de Hohenlohe Archiep. Edessenum, Aloisium Bilio e religiosa Barnabitarum familia; in Ordine Diaconali, Antonium Matteucci Vice-Camerarium S. R. E., Dominicum Consolini; eorumque merita commendat. » 41

Allocutio habita in Consistorio secreto die 25 iunii - *Turbulentissimam ex inferorum* - qua Pontifex, audita relatione Card. Congr. Sacrorum Rituum Praefecti rogat PP. Cardd. sententiam de undeviginti Gorcomiensium Martyrum, et Beatae Mariae Francisciae a vulneribus I. C. canonizatione, ac monet alia Consistoria ex more esse hac de re indicenda. » 46

Litterae Apostolicae sub plumbo - *Catholicae Ecclesiae auctor* - die 25 iulii , quibus supprimitur et extinguitur Episcopatus Iuliae Caesareae , sive Algerianus in Africa , et , praevia distractione partis illius territorii pro erectione duorum Episcopatum,

Constantiniani videlicet et Oranensis , erigitur Ecclesia Iuliae Caesareae sive Algeriana in Metropolitanam cum sua Ecclesiastica Provincia. (V. in Append.) . . . . .	» 492
Similes - <i>Clementissimus Deus</i> - 25 iulii. Erigitur Episcopatus Constantinianus in Africa, cui assignatur pars territorii ut supra distracti. (V. in Append.) . . . . .	» 504
Similes - <i>Supremum pascendi</i> - 25 iulii, quibus erigitur Episcopatus Oranensis in Africa, eique attribuitur pars distracti territorii, de quo supra mentio est. (V. in Append.). . . . .	» 514
Allocutio habita in Consistorio secreto die 6 augusti - <i>Cum Patriarchalis</i> - qua Pontifex Antiocheni Syrorum Patriarchae Ignatii Philippi Harcus Roinae adstantis electionem confirmat , eidemque Sacrum Pallium concedit . . . . .	» 50
Allocutio habita in Consistorio secreto die 29 octobris - <i>Cum graves calamitates</i> - qua Summus Pontifex , audita relatione Card. Sacr. Rituum Congr. Praefecti, rogat PP. Cardd. sententiam de canonizazione Beati Pauli a Cruce fundatoris Congregationis CC. RR. exalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C., ac monet hac super re alia Consistoria esse indicenda.	55

## MDCCCLXVII

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - <i>Servator Noster I. C.</i> - die 15 ianuar. quibus Ven. Benedictus ab Urbino Ord. FF. MM. S. Francisci Capuccinorum in Beatorum album refertur. . . . .	» 58
Allocutio habita in Consistorio secreto die 22 februarii - <i>Deus cuius natura</i> - Praevia relatione Cardinalis Sacrorum Rituum Congr. Praefecti, rogat sententiam PP. Cardinalium de B. Leonardi a Portu Maurizio Apostolici Missionarii ex Ordine S. Francisci strictioris observantiae canonizatione , et admonet hac super re alia Consistoria esse ex more indicenda.	» 66

- Similis eadem die - *Cum Caritas Christi* - Non obstante epistola ad Regem Victorium Emmanuele data, ut aliquem delegaret pro exquirenda ratione prospiciendi viduitati tot Ecclesiarum in Italia, pauci propositi fuere Episcopi. Queritur autem, quod statim ac ipsi ad vacuas Sedes mittentur omnia pessum-data reperient. . . . . » 70
- Similis die 27 martii - *Qui infirma mundi*. - Habita relatione Cardinalis Sacrorum Rituum Congr. Praefecti, rogat sententiam PP. Cardinalium de Beatae Germanae Cousin canonizatione, et admonet hac super re alia Consistoria ex more esse indicenda. » 73
- Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Martyrum rigata sanguine* - die 7 maii datae; quibus Beatorum honores decernuntur Ven. Alphonso Navarrette cum biscentum et quatuor sociis Martyribus Iaponensibus. . . . . » 77
- Allocutio habita in Consistorio semipublico die 12 iunii *Catholica Ecclesia*. - Rogat sententiam PP. Cardinalium de canonizatione Iosaphati Archiepiscopi Polocensis . . . . . » 85
- Similis - *Praeclare admodum* - die 14 iunii. De canonizatione BB. Pauli a Cruce, Leonardi a Portu Mauritio, ac BB. Mariae Franciscae a vulneribus I. C. et Germanae Cousin . . . . . » 87
- Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Ecclesiarum omnium* - diei 17 iunii; quibus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis usus pileoli violacei conceditur. . . . . » 90
- Similes eadem die datae - *Faustissimo illucescente* - Sacrorum Antistitibus, qui hanc in Urbem confluxerunt, et canonizationi plurium Beatorum et solemnniis secularibus martyrii BB. Petri et Pauli App. interfuerere, privilegia Episcoporum Pontificio Solio adstantium conferuntur. . . . . » 93
- Similes - *Almae Urbis* - die 18 iunii; quibus Sodalitas a vinculis S. Petri Ap. hic in Urbe instituta ad Archisodalitatis honorem evehitur. » 95

- Allocutio habita in Xystino Sacello die 25 iunii -  
*Iucundissima quidem* - ad Presbyteros catholicos  
qui ad Secularia Sollemnia SS. App. Petri et Pauli  
et canonizationem beatorum, de quibus ut supra ha-  
bita mentio est, Romam convenerunt . . . . . 98
- Allocutio habita in Consistorio publico die 26 iunii -  
*Singulari quidem* - Manifestat gaudium ob p-  
resentiam fere omnium Episcoporum, qui Romam pe-  
tiere, ut adstant canonizationi plurium Beatorum,  
qui supra commemorati sunt , itemque seculari  
diei festo martyrii BB. Petri et Pauli Apostolo-  
rum. Exponit eorum coniunctionem Catholicae Ec-  
clesiae esse perutilem, inspecta praesertim temporum  
acerbitate. Eos admonet ut animi firmitatem in  
tuenda Ecclesia impavidi servent, fideles in cogni-  
tione D. N. I. C. enutriant. Hortatur, denique ut  
eorum precibus apud novensiles praecipue Caelites  
adhibitis haec munera implorent . . . . . " 103
- Litterae Apostolicae sub Plumbo - *Splendidissimum*  
*Orientalis Ecclesiae* - die 29 iunii. De canoniza-  
tione Iosaphat Kuncewicj Archiep. Polocensis Ru-  
theni ritus. . . . . " 114
- Similes - *Maiorem caritatem* - De canonizatione Pe-  
tri de Arbués canonici regularis Ord. S. Augustini  
Caesaraugustani. . . . . " 138
- Similes - *Splendidum Christianae Religionis* - Cae-  
litum honores decernuntur 19 Martyribus Gor-  
comiensibus. . . . . " 157
- Similes - *Nihil dulcius* - Idem honores Paulo a Cruce  
Confessori Congregationis CC. RR. exalceator. a  
Cruce et Passione I. C. fundatori. . . . . " 200
- Similes - *Ea semper fuit* - Idem honores B. Leonardo  
a Portu Mauritio Missionario Apostolico Ord. MM.  
S. Francisci severioris Observantiae. . . . . " 222
- Similes - *Cum in Tolosanis* - Idem honores B. Ger-  
maniae Cousin Virg. Seculari. . . . . " 243
- Similes - *Ad vineam Domini* - Idem honores B. Ma-  
riae Franciscae a vulneribus D. N. I. C. Tertiariae

- professae Ord. MM. Excalceatorum S. Petri de Alcantara . . . . . „ 265
- Homilia habita in Basilica Vaticana inter Missarum Sollempnia die 29 iunii - *Optatissimus* - in seculari festo SS. App. Petri et Pauli, et canonizatione plurium Beatorum, qui supra nominantur. . . . „ 287
- Responsum Summi Pontificis - *Periucunda* - dat. 30 iunii. Manifestationi Episcoporum, qui eadem occasione Romam confluxerunt. Eos commendat pro concordia in profitendis eius documentis, pro corrogatis subsidiis ad civilem Principatum sustentandum, et pro communi eorum desiderio Concilii Oecumenici, iam ab ipso preeconcepti, ex quo sperat non leves fructus esse percipiendos. . . . : „ 292
- Allocutio habita in Consistorio secreto die 12 julii - *Cum ex hac vita* - qua Armenii Ciliciae Patriarchae Antonii Petri Hassun Romae praesentis electio seu postulatio confirmatur, eidemque sacrum Palium conceditur. . . . . „ 296
- Litterae Apostolicae die 12 iulii - *Reversurus ex hoc mundo* - quibus Constantinopolitana Armeniorum Provincia, extiuncto Primali atque Archiepiscopali titulo, Patriarchatui Ciliciae coniungitur, et praecipua quaedam disciplinae capita constituantur.» 304
- Similes - *Commissum humilitati Nostrae* - quarum vi R. P. D. Antonius Petrus Hassun Armenio Ciliciae Patriarchatui praeficitur. . . . . » 318
- Allocutio habita in Consistorio secreto die 20 septemb. - *Universus Catholicus orbis* - Lamentatur Subalpinum Gubernium, post plurima damna Catholicae Ecclesiae illata, eo iniustitiae devenisse, ut legem promulgaverit, qua Ecclesiam propriis omnibus bonis spoliat, sibique vindicat, et vendenda constituit. Commemorat ipsius legis auctores et fautores in ecclesiasticas poenas et censuras incidisse. Mendacii arguit quemdam librum Parisiis editum, quo luctuosas Mexici vicissitudines Apostolicae Sedi attribuuntur. Meritas tribuit laudes Ludovico Altieri Cardinali, Episcopo Albani, qui grassante ea in Urbe

- cholerico morbo nullis parcens periculis dedit animam suam pro ovibus suis. . . . » 323
- Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Quamquam illius* - die 19 septemb. quibus Hieronymus d'Andrea Cardinalis suspensus declaratur ab insignibus et privilegiis Cardinalitiae dignitatis, aliaque in eum decernuntur. . . . . . . . » 327
- Litterae Apostolicae sub Plumbo die 28 ianuarii an. 1864 datae, at iussu eiusdem Pontificis die 10 octobris huius anni editae - *Suprema universi Dominici gregis* - quibus praetensa Apostolica in Sicilia Legatio, ac Monarchia ita appellata, nec non Iudex delegatus, eiusque tribunal, Ministri et Officiales omnes plane abrogantur ac delentur. . . . » 338
- Similes sub Annulo Piscatoris ut supra datae et vulgatae - *Multis gravissimis* - ad Archiepiscopos et Episcopos, ac utrumque Clerum tam secularem, quam regularem et ad reliquos omnes Christiudeles Siciliae, quibus praescribitur modus, quo causae ad forum ecclesiasticum pertinentes, abolito Iudice Delegato eiusque tribunali, iudicari possint ac debeant. » 351
- Monitum ad Sacerdotem Cyrinum Rinaldi datum die 15 octobris - *Sanctissimus Dominus Noster* - ut, cognita per superiores Litteras Summi Pontificis voluntate, a munere quo fungebatur Iudicis Monarchiae se abstineat sub maioris excommunicationis poena latae sententiae absque ulla alia declaratione incurnda. . . . . . . . » 368
- Epistola Encyclica - *Levate, Venerabiles Fratres* - diei 17 octobr. Dolet rebellionis hominum phalanges Pontificiam Ditionem circumdare Subalpini Gubernii Moderatoribus innixas, quibus Pontifex exercitus, quamvis strenuus, diu resistere haud potest. Deplorat Catholicam Ecclesiam, eiusque filios misere in Polonia vexari, et ex illius Gubernii decretis Podlachiensem itemque Camenecensem dioeceses extinctas, et Episcopos alio amandatos; Petropoli autem constitutum Concistorium, vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, Archiepiscopo

Mohiloviensi confisum. Indicuntur in circo publicae  
preces per triduum . . . . » 371

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Ex quo infestissimi hostes* - die 14 novembr. Quibus pro remunerandis militibus ob victoriam contra praedones reportatam, praesertim Nomenti et Ereti instituitur argenteum signum in formam crucis octogonae , cuius in extremitatibus inscriptum , PIVS PP. IX an. MDCCCLXVII; in medio parvum nomisma referens, in adversa parte pontificalia insignia cum inscriptione FIDEI ET VIRTUTI , in aversa exhibens parvam crucem cum inscriptione HINC VICTORIA, aliaque beneficia decernuntur. » 379

Allocutio habita in Consistorio secreto die 20 decembr.  
- *Dives in misericordia Deus* - Laudat in tanta temporum acerbitate Episcoporum et laicorum virorum studium in defendenda, qua voce, qua scriptis Ecclesiae causa , nec non quamplurimum virorum , qui vel nobilissimo genere nati Pontificiae militiae nomen dare non dubitant. Commemorat fidelitatem romani populi, itemque virtutem suorum militum, praesertim in Nomentano et Eretino praelio operetiam Gallicarum copiarum expeditionis ab Imperatore factae. Hortatur, ut pro acceptis a Deo beneficiis ipsi grates agantur. » 383

### MDCCCLXVIII.

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Apostoli Nostri officii* - die 14 ianuarii. Quibus Cardinalis Hieronymus d'Andrea post datum resipiscenciae argumentum ad insignia et privilegia Cardinatiae Dignitatis restituitur. . . . » 388

Similes 24 ianuarii - *Cum multa sapienter* - quibus decernitur, ut Ordo Equestris S. Sepulcri deinceps tribus constet distinctis Equitum gradibus , nempe Equitum primae classis, seu Magnae crucis, Equitum secundae classis, seu Commendatorum, et Equitum tertiae classis. Confirmatur autem Patriarchae Hie-

rosolymitano latini ritus eiusque successoribus ius  
eligendi atque instituendi Equites. . . . " "

Allocutio habita in Consistorio secreto die 13 martii

- *Vehementer exoptamus* - In sacrum Cardinalium  
Collegium adsciscuntur; inter Presbyteros Lucianus  
Bonaparte, Innocentius Ferrieri, Enstachius Gonella,  
Laurentius Barili, Joseph Berardi, Ioannes Iguatius  
Morena, Raphael Monaco La Valletta; inter Diaconos  
Eduardus Borromeo Arese, Hannibal Capalti, eo-  
rumque merita leviter attinguntur. . . . » 391

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Extra  
Urbis portam* - die 21 aprilis. Usus coenobii a Ss.  
MM. Vincentio et Anastasio ad Aquas Salvias ad-  
iecta cura trium sacrarum Aedium, quae sunt ei  
proximae, Ordini Monachorum Cisterciensium refor-  
matorum vulgo *de Trappa* tribuitur, salvis tamen  
iuribus Abbatis Commendatarii. . . . " 400

Allocutio habita in Consistorio secreto die 22 Iunii  
- *Notum Nobis est* - Exquirit sententiam PP. Car-  
dinalium de indicendo Oecumenico Concilio, et desi-  
gnat diem octavam mensis decembris futuri anni 1869  
pro eo incipiendo; quapropter die insequenti vice-  
sima nona Litterae Apostolicae de gravi hoc negotio  
edentur. . . . . " 405

Similis - *Numquam certe fore putavissemus* - die 22  
iunii. Deplorat calamitates, quibus Catholica Ec-  
clesia in Austriaco Imperio post Conventionem cum  
Imperatore initam divexatur. Enumerat leges et de-  
creta ab eo Gubernio lata ipsi Ecclesiae adversa,  
eaque reprobat, damnat, et irrita declarat. Memorat  
censuras et spirituales poenas contra invasores iu-  
rium Ecclesiae ab Apostolicis Constitutionibus et Oe-  
cumenicis Conciliis inflictas. Laudat demum Episco-  
porum illius Imperii studium in tuendis Ecclesiae  
iuribus et Conventione propugnanda. . . . » 407

Litterae Apostolicae sub Plumbo - *Aeterni Patris  
unigenitus Filius* - die 29 iunii datae. Quibus in-  
dicitur Oecumenicum Concilium Romae habendum,

- et die sacro Immaculatae Conceptioni Deiparae Virginis anno 1869 inchoandum. . . . » 412
- Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Quisque vestrum optime noscit* - die 23 iulii. Quibus nominatim ac solemniter excommunicatur Presbyter Cyrius Rinaldi. . . . » 424
- Similes - *Arcano divinae Providentiae consilio* - die 8 septembris. Ad omnes Episcopos Ecclesiarum ritus orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes, ut velint convenire ad Synodum Oecumenicam, cuius indictionem eis significat.
- Similes die 13 septembris - *Iam vos omnes* - Ad omnes Protestantes aliosque acatholicos, qui certiores fiunt de Oecumenico Concilio concelebrando. Eoshortatur, ut huiusmodi occasionem amplectantur redeundi ad unicum Christi ovile. . . . » 433
- Epistola ad Petrum Iosephum Episcopum Limburgensem die 8 octobris data - *Quanti pastorali tuae sollicitudini intersit* - qua ei conceduntur facultates perpetuum in modum approbandi, statuendi nonnullas de Cathedrali Canonicorum Collegio ordinationes cum Serenissimo Borussiae rege conventas, integra tamen dote tum Decano Limburgensi, tum Canonico parocho eiusdem Cathedralis templi assignata. » 439